







283 85
JOH. GEORGII KULPISII, JCTI
& ANTECESSORIS ARGENTORATENSIS

COMMENTATIUNCULA

DE

JURE CIRCA CADA-
VERA PUNITO-
RUM

Von

Rechte derer Leichname,
am Leben gestraffter Übelthäter.



FRANCOFURTI & LIPSIAE,
MDCCLXXV.

27
27



JOH. GEORGH. KULPISCH 1741
2 ANTECESSORIS

COMMENTARIVM
JURE CIRCA CADA
VERA PUNTO
RUM

Recht der Besondere
am besten beschriebener



FRANCISCVS & LIEBIG
MDCCLXXV





C. B. D.
 DE JURE CIRCA CAD AVERA
 PUNITORUM DISSERTA-
 TIONIS

C A P U T I.

Nominum explicationem ac partitio-
 nem Materiæ continens,

SUMMARIA.

1. Onomatologie necessitas & utilitas. 2. Juris vocabulum sumitur diversimode, quid facultas, quid aptitudo.
3. Justum aliquid vel in se, vel ratione effectuum, vel positive, vel negative. 4. Cadaver quid sit & unde derivetur. 5. Varia acceptio. 6. Quid puniit. 7. Partitio tractationis.

1.



Uemadmodum in Universum qualium-
 cunque Rerum, ita potissimum etiam legum, ve-
 rum & genuinum sensum frustra quis indagabit,
 sine verborum cognitione exactâ; Verba enim
 Rerum sunt notæ & indices, undè in his aber-
 rans necessè est in ipsis rebus, vel negotiis desi-

gnatis ut erret: Clemens Alexandrinus l. 6. Stromatum scribit: δύο εἰσὶν
 εἰ δέου τῆς ἀληθείας τὰ τῶν δὴ ὀνόματα καὶ τὰ πράγματα, dua sunt idea verita-
 tis, nomina & res & Quintilianus dicit, multas juris quaestiones contine-
 ri verborum proprietate; Quare & nos de jure Circa Cadavera puni-
 torum disserturi, illud servabimus, ut antequam ad ipsam Rei tractatio-



nem transeamus, Verborum quoque præmittamus *Notationem* variam-
que *acceptionem*, qua in re sequimur non solum Consilium Gaii Jure-
consulti in l. 1. ff. de O. J. sed & ipsius Sacratissimi nostri Imperatoris
Justiniani exemplum in §. 3. J. de j. & j. §. ult. j. de public. Judic. l. 1. §.
u. l. 2. §. u. l. §. u. C. de V. J. E. l. unic. C. de nud. jur. quir. toll. à quo
nec Maximi quique legum Interpretes sibi recedendum putaverunt,
sicut vel Antistii Labeonis exemplo constat, quem ad enodandos peros-
que juris laqueos usum esse verborum cognitionis scientia novimus.

II. Quod autem vocabulum *juris*, quod vulgo vel per denomina-
tionem grammaticam à *jubendo* seu *jussu*, ob excellentiam & authori-
tatem jubentis, vel per derivationem logicam, juxta *Ulpianum* in l. 1.
pr. ff. de j. & j. à *justitia* deducunt, attinet, de eo, ut heic simus prolixè
operæ pretium fortasse haud fuerit. De variis enim acceptionibus vi-
deri possunt C. J. A. ad tit. de j. & j. n. 5 & *Hahn. Observ. ad Wesenbec.*
tit. eod. n. 14. Dux autem potissimum sunt huc pertinentes: quatenus
nimirum jus vel refertur ad *personam*, & ita denotat facultatem, pote-
statem, aut beneficium, ex juris decreto aut legum autoritate sibi da-
tum ac concessum, sicut dicimus, Titius habet jus hoc petendi, faciendi,
persequendi, quæ acceptio occurrit in l. 2. §. 16. de O. J. §. ult. j. de his qui
sunt sui vel alieni jur. l. 54. §. 155. §. 1. ff. de R. J. quo sensu à *Grotio* de j.
B. & P. l. 1. c. 1. n. 4. definitur, quod sit *qualitas moralis personæ compe-
rens ad aliquid juste habendum vel agendum*. Et dividitur in *perfectam*
& *minus perfectam*, illam *facultatis*, hanc *aptitudinis* nomine appellant.
Facultas est, quæ plenum jus & sufficientem causam agendi tribuit, ita us
adversarium eo nomine, mihi quoque obstringat, quo pertinent omnes ob-
ligationes (sumtò generaliter terminò, ut præter jus ad rem seu obliga-
tionem in specie sic dictam, quæ Jctis propriè jus personale est, etiam jus
in re, seu obligationem, ut sic dicamus ex dominio, descendente, con-
tineat ex negotiis, quæ expletrice justitia regulantur, descendentes, sicut
v. g. in commodato, deposito, habeo facultatem i. e. non tantum jure
mihi permititur, contra commodatarium, depositarium, judicio expe-
riri ac agere, sed & ille obstringitur, eo quod ipse urgere possum, ut rem com-
modatam, depositam restituat, ita accipitur in pr. J. de At. Confer
Colleg. Jur. Argent. ad Tit. de oblig. & act. ib. 15. *Aptitudo* vero dicitur,
quæ in sufficientem agendi causam continet, qua ego quidem petere possum,
alter vero non obstrictus est, quo referuntur attributivis justitiæ opera.
Ita si tractatur apud Senatam de munere conferendo in aliquem, si ego
par sim

✻ (5) ✻

par sim illi obeundo, dici possum aptitudinem habere, id petendi seu agendi, juxta alios cives, sed non facultatem, cum nullum jus tam efficax habeam, cur illud munus præcisè mihi debeatur, quia non id alicui suum est, ad quod aptus est. Confer *Grot. de J. B. & P. l. 2. cap. 17. n. 2. & Pufendorf. Elem. jurispr. universal. l. 1. def. 8. §. 5.* ubi amplius hæc distinctio explicatur.

III. Vel refertur ad *Rem*. & ita jus dicitur id quod justum est, quod iterum vel *in se* tale, seu ex justitia interna, quæ moritis causæ nititur, descendit, ita accipitur *tit. J. de J. N. G. & C. vel ratione effectuum*, adeoque exterioris fori justitia æstimatur, quemadmodum in *l. 1. ff. de J. & J. prætor jus reddere* dicitur, etiam cum inique decrevit, ratione facta non ad id, quod ita prætor facit, sed quod facere eum convenit, ratione tamen effectus æquè valet ista sententia ac in rem judicatam transit, ex qua alteri jus nascitur ac illa, quæ secundum justitiæ internæ regulas lata est, confer *l. 65. §. 2. ff. ad Sc. Trebell.* Deindè justum aliquid dicitur vel *negative* aut in sensu negante, idemque est, ac id, quod non prohibetur, ut ita jus sit, quod injustum non est: vel *positive* ac in sensu ajente, idemque est, ac id quod præcipitur, de qua divisione vid. *Grot. de I. B. & P. l. 1. c. 1. n. 3.* & pluribus in *Tr. de satisfactione cap. 3.* Qualis autem acceptio nostra tractatione potissimum frequentetur, re-ctius in re præsentī ac casibus specialibus, quam hæc in genere dicitur.

IV. Per cadaver autem generaliter nihil aliud denotatur, quam corpus exanime; Derivatur vulgo à *cadendo*, vel quia egressâ animâ non amplius insistit, & ambulat, sed cadit, vel quod ipsum verbum *cadere* idem denotat ac *mori*, eoque significatu non solum apud bonos authores Classicos, sed & in jure nostro accipiatur exemplo *pr. in fin. l. de excusat. tut.* in quam rem tamen malè à nonnullis adducitur *l. 3. C. de posth. her instit.* ibi: *postquam in terram cecidit*, ac si per istam formulam mors significetur, cum potius ad morem Romanorum illum pertineat, quo nati pueri simul ac sublati erant, ab obstetrice statuebantur in terra; ut auspiciarentur recti esse, uti præter *Cujacium* *1. Obs. 30. notavit Gothofred. in not. ad diēt. l. 3. lit. 1.* Cæterum hæc derivatio etiam aliis linguis probatur, sicut eodem modo Græcis à *πίρω* sive *cadere* etiam *πρώμα* ac *πίρω* apud Euripidem phœnisi. 4. & *πίρωμα* deducitur. Idem de Hebræorum *Nebhela* à *nabhal* docetur apud *Martiniæ* *Martinium in Lexico Philologico voc. cadaver*, nam quod aliqui

exindè cadaver dictum putant quasi *CAVO DATA VER* mibus, ex *Ecclesiastici cap. X. v. 13.* ad subtilitatem allusionis, non Etymologiam nominis veram referri debet.

V. Quod variam acceptionem hujus nominis attinet, interdum pro corpore nondum sepulto, & quod careat honore sepulture, qui alias hujus generis corporibus debetur, accipitur, interdum pro corpore quocumque mortuo, non attento, an sepeliatur an non. Ita cadaver efferrè dicitur apud *Livium II. Hist. 8.* Atque ita à funere distinguitur, cujus appellationem consequitur corpus si sepeliatur, sicut *Servius II. Æneid.* eam diversitatem consignavit, pertinet eodem locus *Isid. l. II. c. 3.* *omnis mortuus aut funus est, aut cadaver, funus est, si sepeliatur, & dictum à funibus accensis, quas ante feretrum papyris cera circumdatis ferebant, cadaver autem est, si insepultum jacet, nam cadaver nominatum à cadendo, quia jam stare non potest. Quod dum portatur, exequias dicimus crematum reliquias, corpus autem à consuetudine dicitur, ut illud.*

Tum corpora luce carentum.

Specialius autem restringitur id nominis ad corpora brutorum animalium, cui in vernacula nostra, communiori loquendi consuetudine nunc respondere videtur *Thas*. Sed has singulas appellationes passim quoque confundi videmus. Ita inter pœnas populo Judaico, nisi refipisceret, infligendas, apud *Jeremiam XVI. 4.* descriptas, ea quoque reperitur, quod gladio aut fame perituri, nec sepulturam confecturi, verum corpora eorum volatilibus cœli & bestiis terræ esca futura sint, ubi vocabulum נֶבְחֵלָה *nebbela*, in vulgata versione per *Cadaver* à *B. Luthero* *Leichnam* explicatur: Ex adversum *Matth. XXIV. 28.* in illo dicto, ubi cadaver, ibi congregabuntur aquilæ, quod ad bruta potissimum refertur, vulgata græcum πρῶμα corpus reddidit, sed *Lutherus* eum *Thas*. In jure quoque nostro illa inter funus & cadaver differentia tam rigidè semper non attenditur, nam quod in *l. 4. §. 2. ff. si quis caut.* importat formula *funus prosequi*, idem in *l. 3. ff. de injus vocand. est cadaver prosequi*, & in *l. 1. §. 4. & 6. ff. de injur. l. 1. §. 5. C. de lat. lib. toll.* alibi que, tanquam æquipollentia nomina usurpantur. Sicut & ipsum *Corporis* nomen, quod alias generalis est, nihilominus tamen cum *cadaveris* appellatione confunditur *Rubrica §. 1. ff. de cadaveribus punitorum*. Quæ propterea annotavimus, ne quis nobis inconcinnum titulum præsentis dissertationi præscriptum esse, opponat, dum de corporibus-

poribus humanis heic unice sumus solliciti, quæ minus commode cadaverum nominatione indigentur, præsertim inter Christianæ Religionis professos, eoque sibi persuadere velit, rectius nos fuisse facturos, si corpora potius, quam cadavera dixissemus. Cui respondemus, nos juris nostri autoritate heic nisos, inscriptionem tituli in Digestis de hac materia agentis mutare noluisse, præsertim cum nulla id coegerit ratio, siquidem cadaveris nomen, sive ad primam originationem, sive ad insecutum loquentium usum, quem penes arbitrium est, & jus & norma loquendi, respiciamus, nihil contineat, quod ullo modo cum præstantia humanæ alias naturæ se non patiatur componi, & quoniam non de omnibus humanis, sed punitorum solum, adeoque vita functorum corporibus loquimur, in comparatione etiam utriusque vocis cadaveris nomen præferendum existimavimus, quoniam corpus absolute positum generalius sumitur, & de animato non minus, quam exanimi intelligi potest, cadaver autem relativum est ad animam quam habet & amittit, nec de alio quam mortuo potest usurpari.

VI. Unde statim apparet, quinam per *punitos* intelligantur, scilicet illi, quibus pœna non solum constituta ac definita, sed & executioni jam mandata est, alias enim non *puniti* sed *damnati* dicendi. Potissimum vero capitaliter puniti huc pertinent, nisi quod pauci casus occurrant, quibus & in pœna corporis afflictiva heic quæstionibus locus est, sicut in decursu apparebit.

VII. Ut autem certus tractationi nostræ ordo constet, mallems quidem Interpretum nostrorum partitionibus, quales in aliis juris capitibus instituere consueverunt, secundum quatuor causarum genera, heic etiam uti, sed quoniam præsentis tituli ratio non patitur, à Commentatoribus etiam ad *subitaria* saltem quædam observationes ponantur, satius existimavimus, eam methodi rationem adornare, ut *primum* videamus quid *publicæ* potestati tam *Summæ*, quam *summa Minoris*: Et deinde quid *privatis* iisque vel *extraneis* vel *agnatis*, vel etiam *sibimetipsi* ratione ultimæ voluntatis heic jure liceat, atque ita in unum versum circa punitorum cadavera justum sit: Adjungemus deinde etiam affinium rerum caput, de Cadaveribus in *reatu mortuorum*, *hereticorum*, & similibus, quantum temporis & instituti ratio

CAPUT II.

De jure Magistratus circa cadavera à se punito-
rum, quoad augendam potissimum, ac continuan-
dam pœnam, in ipsis corporibus.

SUMMARIA,

1. 2. Magistratus potestas etiam post mortem in cadavera
punitorum se extendit. 3. Idque variis modis. 4. An con-
suetudo, qua cadavera in patibulo, aut Rota relinquun-
tur sit rationabilis. 5. Quenam negantium. 6. Quae af-
firmantium argumenta. 7. Quid ad illa responderi possit.
8. Rigor ille pœnarum etiam post mortem durantium, tan-
tum in atrocioribus Criminibus obtinet. 9. In ipsa pœnæ
talibus executione, qualis modus servandus. 10. An semel de
capitatus reviviscens, iterum de capitandus, an post exe-
cutionem factam majoris criminis reus deprehensus denuo
pœnæ ulteriori subjiciendus.

I. Posset alicui forte mirum videri, quod etiam post executionem
sententiæ capitalis, in defunctorum cadavera Magistratui quic-
quam superesse juris statuamus, cum per mortem omnis ista facultas
censeatur esse sublata ac interversa, sicut in hanc rem multa Philoso-
phorum æque ac JCtorum extent testimonia. *Plutarch. in vita Solon.*
illam legem præcipue laudandam dicit quæ prohibet in defunctos male-
dicta conjicere. Et Euripidis in phæn. effatum est, decretum esse mor-
tuos non afficere injuria. At ne quis putet de privatis solum affectibus
hæc intelligenda esse, ad publicam quoque vindictam eadem referenda
aliunde constat. Mors inquit Seneca ad Marc. c. 20. Servitutem invi-
to domino remittit, captivorum catenas levat, e carcere educit, quos exi-
te imperium impotens vetuerat. Idem de Constant. c. 8. tale quid mor-
tem, dicit, ultra quod nihil habent irata leges, aut severissimi domini mi-
nantur. in quo imperium suum fortuna consumit. Extat apud Tacitum
lib. 4. Annal. c. 35. n. 1. Cremutii Consulis Romani oratio, quæ contendit
mortem odio & gratia eximere, rationem reddit Euripides Antigone.

Mors

*Mors iurgiorum finis est mortalibus,
Num majus aliud quid potest lethodari?*

Sed & in legibus nostris, mors omnia solvere traditur Nov. 22. c. 20. pr. Crimen & penam extinguere l. 6. ff. de publ. judic. Et commune est JCo- rum dictum, quod per mortem reus eximatur foro judicis, & efficiatur de foro Dei Sebastian. Medices in tractat. mors omnia solvit p. 2. conclus. 3. & 32.

II. Verum enim verò non sunt tanti hæc, ut publicos mores vel animadvertendi in mortuos, vel in vita eorum in choatam pœnam post mortem continuandi corrigere debeant aut possint abolere, partim enim de temerariis privatorum judiciis aut publicis etiam mera vindicæ cupiditate susceptis, vera sunt, quædam etiam de casibus ordinariis loquuntur, ut interim exceptionibus locum suum relinquunt, quibus efficiatur, ne dici possit, *semper & indistincte mortem corpus a jurisdictione eximere*, iterum apud Tacit. lib. 16. annal. cap. 11. n. 5. legimus *accusatos post sepulturam, decretumque ut more Majorum punirentur*. Et in legibus nostris non omnia Crimina mortalitate extingui constat ex l. n. ff. ad L. Jul. Majest. neque etiam punitioni terminos poni, passim docent Interpretes, conf. Carpzov. prax. Crim. p. 3. q. 141. n. 5. Berlich. p. 4. Conclus. 5. n. 99.

III. Evicto ergo quod sola mors *per se* aliquem jurisdictioni non eximat, quousque se illa extendat dispiciendum est. Distinguiamus autem tum ratione *subjeti* inter Magistratum *Summum & Minorem*, tum ratio *predicati* inter cadavera ab eodem & ab alio *judice* punitorum, tum, inter *punitos* vel in pœna vel ex pœna mortuorum. In cadavera punitorum ab eodem *judice Summi Principis* potestas dirigitur vel ad pœnam *continuandam*, vel *remittendam*. Continuatur autem pœna vel sine *novo actu*, utpotè cum patibulum aut rota in pœnam alicui adjudicator, in quibus post factam executionem cadaver relinquitur, aut simpliciter abjectio & privatio sepulturæ statuitur, sicut hodiè non solum in Criminibus atrocioribus frequentari solet, sed & apud Judæos in usu fuisse, ut in loco supplicii, corpora punitorum remanserint, colligunt ex appellatione *Montis Calvaria*, ab ossibus cadaverum insepulorum residuis ita dicti. *Matth. c. 27. v. 33.* ubi Lutherus in *glossa Scheddel* - *Stätt* heisset, da man die Ubelthäter richtet, als der Galgen, Habsenstein &c. darumb das viel Todten - Köpff da liegen. Vel conti.

continuatur cum novo actu, idque rursus vel *positive* cum gladii quidem pœna infligitur, sed post decollationem cadaver insuper in rotam ponitur, vel in partes dissectum variis suspenditur locis. Vel *negative* quando confanguineis, allisque amicis peita ad sepulturam corpora non conceduntur, aut deportati mortui aliò transferri prohibentur, Remittitur verò, vel deponendo cadaver à rota aut patibulo, vel defunctum famæ restituendo, aliisve modis, de quibus partim dicendum est.

IV. Statim autem se ingens exserit difficultas, *an Summi Principis potestas, se eo extendat, ut in civilis pœna computationem, etiam sepulture privationem possit reserves?* Videtur enim hoc repugnare omni divino, humanoque juri; Quod *jus divinum* attinet, constat ex *Deut. 21. vers. 22. & 23.* Voluisse Deum ut suspensi sub vesperam cruce deponantur & terræ mandentur *Zoes. in Comm. Digest. tit. de cadav. punit. n. 1. in pr.* Cujus rei rationem addunt Hebræi Interpretes, exhibitam hanc rationem divinæ imagini, ad quam homo sit conditus, alii, quod ultra modum non exasperanda pœna, & cum per suspendium ordinationi divinæ satisfactum sit, execrationem illo die finitam esse, propterea deponi debuisse sub vesperam, ne amplius etiam pro populo haberetur pro maledicto, & Judices sæviendo non contaminarent terram. *Off. und. ad H. Grot. 2. cap. 19. n. 4. obs. 2. p. 102.* quod etiam pii principes & Magistratus observasse, sacræ literæ testantur, vel exemplo *Josue cap. 3. vers. 29. cap. 10. v. 26. 27. libri Josue, Davidis 2. Sam. 21. v. 12. 13. & 14. docemur.* Idem Conciliorum Decretis statutum est, sicut *Moguntiaci & Wormatiensis placitum*, etiam in jus Canonicum relatum, legitur *Caus. 13. Can. 30. q. 2. De jure natura* nec licet dubitare, cum gentiles quoque satis id agnoverint, qui officium sepeliendi non tam homini i. e. personæ, quam *humanitati*, id est naturæ humanæ præstandum dixerunt, unde *publicam* hanc *humanitatem* *Seneca de benef. lib. 5. c. 20. & Quintil. declam. 6.* *humanitatem* ac, mansuetudinem *Valerius Maximus l. 5. c. 1.* *Sortis humanæ commercium*, *Tacitus* appellarunt, & qui *secus* facerent, tales *sine humanitatis* referentia esse ait *Spartianus in vita Caracalle.* *Livius* autem *l. 8. c. 7.* *sevitiam* vocat *ultra humanarum irarum fidem* adde *Antho. Matth. de Criminib. prolegom. c. 3. §. 5. Hugo Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 19. num. 1. & 2. Pufendorf. de I. N. & G. l. 2. c. 3. n. 22.* Imò denique ex *jure gentium* quoque, quod ex voluntate

ortum

ortum habet, deberi hanc sepulturam corporibus mortuorum, præter Hugonem Grotium l. allegat. prolixius ostendit Petr. Faber Semestrium lib. 2. c. 1. Cui accessit jus civile, sicut rescripserunt non solum Diocletianus & Maximinianus AA. in l. ii. C. de religiof. & sumpt. fun. obnoxios Criminum, digno supplicio supj. Etor, sepultura tradi non vetamus, sed & Imp. Marcianus in l. 9. C. de heret. quam restituit Cujatius lib. 12. obs. 30. quamlibet nocentibus id permitti humanum & pium arbitratus est, idemque servat praxis publica plurimarum gentium, nominatim de Gallia notat Rebuffus in legibus abrogatis art. 54. 55. ubi propterea titulum de Cadaveribus punitorum à principe ad sepulturam specialiter petendis non servari, testatur. De aliis alii. Sed & rectissime & laudabiliter Serenissimum Electorem Brandenburgicum Anno 1646. omnia punitorum cadavera à fuscis deponi jussisse, tradit Brunneinan. process. inquisitor. c. 10. num. 33. ut ut an practicetur dubitare liceat, subjungit enim optandum esse, ut Constitutio Electoralis generalis promulgaretur, ne in posterum cadavera quorum cunque punitorum in furca aut rota pernoctent, vel relinquuntur, sed sepulturæ tradantur. Addunt tandem rationes varias, quod Salus Reipublicæ sepulturam efflagitet, ne aliàs fætor ex cadaveribus proveniens aërem inficiat, sicut hanc primam humanæ sepulturæ originem ex Job. Francisci. Ripa Tr. de peste c. 4. n. 98. refert Ziegler. ad Grot. p. 419. Item ne terra illa spectacula gravidis mulieribus, quæ sæpius visu in ea incurrunt, dum ad vias potissimum patibula ac rotæ collocari solent, sint noxia. Confer omninò Didac. Covarruv. l. 1. resol. c. 1. Anthon. Gomez. var. resolut. tit. 3. cap. 14. lul. Clar. lib. 5. recept. sentent. §. fin. q. 100.

V. Hæc atque alia quosdam permoverant, ut de hoc genere peccatorum ac in universum de Consuetudine hodierna, qua suspenforum ac rota punitotum corpora insepulta relinquuntur, non eodem modo senserint. Aliqui eam valere penitus negaverunt, in quorum numero Petrum Ravennatem & Rochum de Curte fuisse annotat Heig. p. 2. q. 37. n. 10. & de Sylvestro ac Abbate idem tradit Covarruvias d. l. Alii tolerari quidem, sed tamen laudari non posse, nec rationabilem esse opinati sunt, quemadmodum Hugo Grot. de I. B. & P. l. 2. c. 19. n. 4. hoc disputasse ait, non Politicos tantum, sed & Theologos, quorum nomina in margine annotantur. Ex nostratibus Theologis B. Gerhard. de Magistratu politic. n. 310. Ex Juris Consultis huc pertinent Speckhan. cent. 1.

q. 9. n. 7. Dn. Meierus in C. l. A. tit. de Cadav. punit. n. 1. Brunneman ad l. 1. ff. eod. & in process. inquisit. d. l. ubi admonendos putat & rogandos principes, ut abolitâ istâ consuetudine, sepulturae tradi jubeant, corpora damnatorum, ob jussum DEI Deut. 21. quanquam enim hanc legem ad legem forenses pertinere non neget, securius tamen facere principes, & conscientia suâ consulere putat, quando suas leges ad forenses sive Mosaicâs accomodant, certum enim esse, in legibus forensibus DEUM voluntatem suam declarasse, praesertim cum ratio moralis heic adatur, ut non polluas terram tuam, quam Jehova Deus tuus tibi dat in possessionem, subiungit deinde rationem ex deformitate spectaculi deductam, & quod nulla tanta esse immanitas sceleris possit, ob quam humanitatis oblivisci debeamus. Consentit hisce etiam Zepperus de legib. Mosaic. l. 5. c. 7.

VI. Non tamen defuerunt, qui pro justitia quoque hujus consuetudinis pugnârunt, nihilque contra rationem eadem committi existimârunt. Ex Theologis rursus allegare possumus *Osandr. ad Grot. l. 2. c. 19. n. 4. obs. 3. p. 103. seqq.* ubi hujus sententia argumenta contrariis praeferenda esse docet, idemque *Gisberti Vœtij* judicium addicit. Ex Jure Consultis verò *Menocho A. I. Q. Cas. 387. n. ult. Farinac. tom. 1. lib. 1. tit. 3. q. 20. n. 134. Heigium p. 2. q. 37. n. 38. Sebastiani Guazzini. de defensa reorum def. 38. c. 7. n. 5. Carpz. Prax. Crim. p. 3. q. 137. n. 70. Zoef. ad tit. de Cadav. punit. n. 1. Ziegler. ad Grot. pag. 421.* Qui nihil hic temere mudantur statuunt. Utuntur autem eò potissimum fundamento, quo propter frequentiam pravitatemque delinquentium aliquorum malefactorum supplicia exacerbanda sunt, quocies nimirum, multis personis grassantibus exemplo opus est, secundum responsam *Claudii Saturnini in l. 16. §. 10. de pen. eod. Callistratus in l. 28. §. 15. eod. famosos latrones, in his locis ubi grassati sunt, furca figendos, quam pluribus placuisse dicit, ut & conspectu deterreantur, alii ab iisdem facinoribus, quæ ratio etiam reperitur in Glossa germanica Landr. l. 1. verbis: Nitemand wettet n. 7. Et ibi quoque *Apostillator Gloss. Weichbild. art. 36. vers. Und man begrâbt sie (fures) selten, darum, daß man Andere damit erschrecket, additur in d. l. 28. ut id solatio sit cognatis & affines interemptorum eodem loco persam redditam, in quo latrones homicidia fecissent. Existimat quidem Brunnemannus, ipsi patibula ac rotas erectas satis homines debortari posse a sceleribus, sed nimis in efficax hoc est remedium,**

mediūm, quod ex solo ligni conspectu desumitur, coërcendis perversis hominum moribus, ad *παράδειγμα* constituendum metu cognitæ *pœnæ* ut *Gellius Noct. Attic. l. 6. c. 14* vel ut *Seneca l. 1. de irac. 16.* ait, *nequitia male cedentis exempliis opus est, ut unius pœna metus possit esse multorum l. 1. C. ad L. Jul. repet. adde Grot. de l. B. & P. l. 2. c. 20. n. 9.*

VII. Adversus hæc utiquè non valent, quæ antea in Contrarium sunt allata. Quod enim legem Mosaicam *Deut. 21.* attinet, divini quidem juris est, sed positivi & forensis, quæ idcirco aliter se apud alias gentes habere potest. *Ziegler. ad Grot. d. l. causam* quoque illius legis inoralem non esse, sed Ceremonialem docetur apud *Ostandr. d. l. pag. 1105.* ubi dicit execrationem & maledictionem, quæ huic legi pro fundamento subternitur non esse illam moralem, quam quandoque peccatum meretur, & de qua agitur *Deut. 27. v. 26. & Gal. 3. v. 10.* sed Ceremonialem quandam, consistentem in summo impuritatibus ceremonialis gradu, qui non permittēbat, ut sine Contaminatione terræ in eodem aëre cum viventibus hac maledictione maledicti per noctem relinquerentur, sed poscebat ut ante noctem terra opturetur, ne videlicet terra polueretur; Quin & illam de sepeliendis cadaveribus regulam apud ipsos Hebræos habuisse exceptionem eorum, qui ipsi sibi mortem consciverant ex *Josepho* notat *Hugo Grot. de l. B. & P. l. 2. c. 19. num. 5.* nec aliàs semper observatum fuisse, docent exempla allegata apud *Carpz. d. l.* An autem conscientia magis consultant principes qui ad Mosaicam, forenses leges suas accomodant, adhuc disputari potest. Sunt quidem multi, qui in criminalibus præsertim judiciis, aut pœnis capitalibus eas vim legis adhuc etiam optinere putant, quod asserit *Zepp. d. loc.* alii saltem eas ceu sapientissimas ac justissimas, utpotè ab ipso Deo latas, & proinde rerum conditionibus, & natura convenientissimas attendendas censent, uti apud *Calixtum Theol. Morat. cap. de legib. p. 73. Schneidw. ad tit. l. de nupr. p. 4. n. 62.* qui ex *Philippo Melanchrone* id tradit. *H. Grot. de l. B. & P. l. 1. c. 1. n. 17.* aliosquè videre est. Sed utrumquè præter alios refutavit *Ostander ad d. l. Grot. p. 285. seqq.* Cum hoc solum, quod sint sapientissima, & justissima non evincat, eas adhuc debere obtinere, quod aliàs etiam sequeretur leges illas speciales forenses de Jubilæo, & superinducēta fratris uxore adhuc dum obtinere; quia & illæ sunt leges sapientissima & justissima, neque differunt in tertio sapientia aut justitia à communibus, sed in tertio

faltem latitudinis, ut loquuntur, quod autem rerum conditionibus sint appositissima, id non absolute intelligentum est, respectu omnium rerum publicarum; sed determinate respectu Hebrææ Reipublicæ, in qua utique præstabant cæteris, legis omnibus, tanquam divinæ humanis, imò quoniam heic quoque, id quod in aliis civilibus legibus contingere solet, licet observare, non semper ad summam justitiæ intrinsecæ exactitudinem potuisse definiri, sed pro conditione indolis ac genii Judæici populi, aliqua fuisse indulgenda, vix dici poterit indistinctè regulam eas leges continere divinæ voluntatis, semper & ubique observandæ, siquidem plurima DEUS, propter *σκληροκαρδίαν* Judæorum indulsit, qualia simpliciter approbasse eum, asseri nequid, uti vel exemplo divortiorum in V. T. non per nudam conniventiam, ut aliqui putant, sed legalem concessionem promiscuè permissiorum, apparet, quare nec Judices si idem ac in legibus Mosaicis constitutum observent, certos esse credendum est, se non facere contra voluntatem DEI. Quicquid autem de his sit, cum & ipsi Dd. antea allegati recedendi à Mosaicis legibus facultatem principibus salva justitia tribuant, ex hoc solo, quod consuetudo, de qua loquimur, cum jure veteris testamenti non per omnia conveniat, injustitiæ, aut irrationabilitatis (sit venia verbo) alicujus argui non potest, sed & *Jura Canonica* quæ quidem indistinctè loqui videntur intelligenda tamen esse, secundum distinctionem juris civilis in l. 1. *¶ ult. ff. de cadav. punit.* hoc est ut aliter deponi non possint, aut sepulturæ tradi, nisi id a Principe, aut alio Judice Seculari qui sententiam tulit, petitum, & impetratum fuerit, declarat *Glossa* ibidem; cui declaratione, præter interpretes suscribunt etiam *Jul. Clar. d. q. 100. n. 1. Bartholomæus Chassen in consuetudin. Ducat. Burgund. rubr. 2. §. 1. verb. ileonstisq; les biens num. 5. Hostiens. in rubr. de sepult. num. 4. vers. quid de suspensis. Gomez. d. c. 14. n. 8.* quæ autem de jure nature & gentium sunt allata, regulam solum indigitant, quod sepultura defunctis corporis debeatur, exceptionem tamen, in insigniter facinorosis neutiquam impugnant, sicut nec allegati *juris civilis* textus, ex quibus id tantum sequitur, posse Principem aut judicem, si ab ipso petatur, rigorem pœnæ remittere, & ad sepulturam cadavera punitorum concedere, non autem quod necessariò id agere debeat aut si secus faciat peccet. Porro *praxis* unius aut alterius gentis contraria nulli legem præbere potest, ad quam cæteri populi respicere debeant, quia & huic alto-

rum

rum populorum mores possumus op ponere, antiquos non minus quam recentiores, quibus sepulta suspensorum aliorumque maleficiorum cadavera non fuisse docemur; de *Aegyptiis* constat ex *Genes. c. 40. v. 19. de Græcis.* ex Diodoro Siculo refert *H. Gror. de J. B. & P. l. 2. c. 19. num. 5. §. 5. communem Græcis omnibus morem esse, ut sacrilegi insepulti abjiciantur, quæ & Athenis in proditores constitutum, ex Plutarcho ibidem narrat. Præticam Regni Salmantini, de indictione Judicis, ne quis sub certa pœna corpus suspensi sine licentia, & confessu suo auferre vel tollere audeat, refert Anthon. Gomez. d. l. Denique subnexæ rationes parum in se ponderis habent, quod enim de periculo ex feotere cadaverum metuendo dictum est, nec ad omne tempus anni quo supplicia exercentur, applicari, neque eatiam calidissima tempestate ex uno aut altero corpore tale quid contingere potest: Et per accidens plane fieret, si ex aspectu cadaveris, gravida mulier incommodum sentiret, quod heic non attenditur, præsertim cum ejus quoque culpa in eo verteretur, cum avertero faciem suam possit. Ut aded adhuc rationabilis satis ista consuetudo, & puniendi modus nobis videatur*

VIII. Cæterum tum ratione ipsorum *delictorum*, tum *modi* in pœnis ejusmodi hic notandum est, quod cum aliquo modo exorbitantes sint pœnæ, quarum rigor post fata extenditur, non in quibusvis, sed atrocissimis tantum, nefandis & enormibus delictis locum habere possint, notante *Heigeo p. 2. q. 37. n. 17. & Petro Frider. Mindan. l. 5. q. 148. n. 2.* modo etiam tali exercendæ sunt, qui intra Christiane disciplinæ regulas consistat, nec in barbariem abeat. Inter delicta autem primum ferè est *Lesæ Majestatis Crimen, extinguitur crimen mortalitate* inquit *Ulpianus in l. ult. ff. ad L. Jur. Majest. nisi quis forte Majestatis reus fuerit: Equidem semper gravissimæ heic fuere pœnæ à Legislatoribus impositæ, de quibus prolixius videri potest Giga in Tr. de Crim. les. Majest. Rubr. de pœn. commit. crimen Majest. q. 1. n. 1. seqq. & Decian. in Tract. Crim. l. 7. c. 3. per tot. & c. 39. n. 22. seqq. c. 40. n. 41. Prosper Farinac. tom. 5. q. 116. quas inter etiam est denegatio sepultura: l. 1. ff. de cadaver. punit. Hahn. obs. ad Wesenbec. tit. de cadav. punit. quod & jure Gallico servari testatur *Rebuffus in proem. Constit. regn. Gall. n. 54. & 55. & prajudicium in causa Colinii multa severitate extat apud Thuan. l. 53. p. 1093. idem de prodicionis crimine, quod eodem etiam referri potest, dicendum, Ordinatione Carol. V. art. 124. Zieritz. in not. ad eund. Carpt.**

Carpz. Pr. Crim. p. 1. q. 41. n. 94. 95. Brunm. proc. Inquisit. c. 10. num. 32. quod & olim apud Athenienses obtinuisse ex Plutarcho refert *Grot. de J. B. & P. l. 2. c. 19. n. 5.* Sicut exemplo Phocionis tradit *Ælian. l. 4. var. histor. c. 7.* ejus Corpus extra fines Atticos ejectum. De hæresi etiam asserunt Pontifici, sed cum ne quidem per se & simpliciter considerata hæresis capitaliter puniri possit, uti multis ex sacris literis quoque conductis rationibus, testimoniisque Patrum confirmatis, ostenderunt nostrates Theologi non minus quam Jcti, confer *Gerhard. de Magistrat. politic. n. 318. seqq. Carpz. prax. Crim. p. 1. q. 44. n. 30. seqq.* aliter sentiendum est. De famosis autem latronibus & grassatoribus res expedi- tior est, per *l. 28 §. pen. de pen. Coler. decis. 105.* quanquam in Marchia Brandenburgica, si hoc fieri debeat, à Collegio in sententiâ specialiter exprimendum, dicit *Brunnemann. d. l.* an verò in Grassatoribus eadem pœnæ severitas possit exerceri, si rem minimam, aut exigui pretii in via publica abstulerunt, non immerito quæri potest: Equidem in furto, si res ablata sit exigui valoris id attendi, constat ex *art. 100. Ord. Crim.* Sed in hac differre Robbariam notant Dd. eoque parem eandemque pœnam inponendam esse raptori rei minimæ & grassatori reum maximi pretii, tum ob generalitatem textus in *Ord. Crim. art. 120.* tum quod in Crimine Rapinæ non tantum noxa & damnum, per ablationem rei datum, quam violatio securitatis in via publica, attenditur, quæ per rapinam rei minimæ æque ac per ablationem maximi pretii reum contingat, sicut docetur apud *Brunnem. process. inquisit. c. 9. n. 82. Carpzov. Prax. Crim. p. 2. q. 90. n. 43. seqq.* ubi etiam præjudiciis confirmat. Sed & crimine parricidii idem observatur, ut culeo aut cistæ impositi, in mare aut profluentes aquas cadavera punitorum projiciantur, addita nota ne à quoquam detineantur, aut exferantur.

IX. Quod modum. attinet, interdum totum cadaver accicitur aut rotæ imponitur, interdum vero in partes dissectatur, gladio aut quadrigis etiam in diversum actis, idq; vel eodem statim vitæ privationis actu simul, vel post factam sententiæ capitalis executionem pro diversitate scilicet delicti gravioris aut minoris, utriusque generis exempla in puniendis læsæ Majestatis aut proditiõnis reis reperiuntur, plerumque enim vivi quadripartitum dissectantur, quæ partes in quatuor viis celebrioribus, omnibus conspiciendæ, suspenduntur. Nonnunquam mitigatur pœna, ut reo caput prius amputetur, & tum demum in quatuor partes

partes discedatur, sicut & in ordinatione Caroli V. *Crim. art. 124.* distincte signatur, wöcher mit böshafftiger Verrätheren mißhandelt, soll der Gewonheit nach, mit Viertheilung zum Tode gestrafft werden, 2c. Es möchte auch die Verrätheren also gestalt seyn, man möchte einen solchen Mißthäter erstlich köpfen, und darnach viertheilen, welches Richter und Urtheiler nach Gelegenheit der That ermeffen und erkennen, und wo sie zweiffeln, Rath suchen sollen, confer C. I. A. l. 48. tit. 4. n. 10. Gomez. *var. resl. lib. 3. c. 2. n. 11. Habn. Obs. ad Wesenbec. tit. ad L. Jul. Majest. n. 7. præjudicia in utramque partem habentur apud Bernhard. Zieritz, observ. ad Conflit. Crim. Car. V. d. cap. 124. aliquando caput solum abscissum certo loco exponi & truncum sepeliri refert Petrus Greg. Tholosan. l. 31. Syntagm. jur. univers. c. 27. nimirum Inspicienda hic sunt statuta & consuetudines cujusque loci, quæ tantum possunt in delictis, quantum ipsæ leges, add. Abb. in c. de causis in in fin. de off. deleg. Felyn. in cap. inter cæteras num. 20. de rescript. Vinc. Franc. decis. 240. n. 10. part. 1. Communiter tamen monent Criminalistæ, ne modus hic excedatur, ac Scytharum instar suppliciorum crudelitate sæviatur secundum monitum Marciiani in l. n. pr. ff. pen. Unde non solum certæ species pœnarum mortis jure improbantur, sicut bene scire debere judicem, quod ipse non possit condemnare, ut quis ex arbore præcipitetur seu veneno, telo, vel securi occidatur, aut laqueo stranguletur, vel quod damnatus speciem mortis sibi eligat ex Luca de Penna in l. 1. num. 34. C. de desert. Bajard. q. 67. n. 12. tradit Sebastian. Guazzin. d. l. def. 33. c. 4. n. 16. sed etiam in controversiam vocatum dicit Zieritz. ad Conflit. Crim. Carol. V. c. 137. an pœnæ ille modus cujus in Nemese Carolina aliquoties etiam fit mentio, quo capitaliter puniendi trahæ illigati ad locum supplicii jumento raptantur, salva conscientia retineri & exerceri possit? qui certe periculosum, nec facile decernendum putat, si hæ executioni mandetur, ut reus trahæ alligatus capite resupino, aut cadaveris instar extrahatur, quis enim non videt, ait, ultimum illud solatium Evangelicum, quod miseris reis & in ultimo agone jam constitutis jura divina & humana concedunt, nec ipse Imperator Carolus denegat, ut apparet ex ordinationis Crimianlis cap. 102. Istha executione, si non tolli, at diminui tamen ad minimum? pergit in cap. 193. quod etiam propter metum desperationis, bonus Judex ab hoc exequendi modo, ubi reus absque traha bestia instar sit raptandus,*

C

abhor

aphorere debeat. Et hoc est. quod & Covarruv. var. resol. l. 2. c. 70. n. 9. notavit, semper inchoandum esse à leviori pœna ob timorem salutis æternæ, ut ut de consuetudine sæpius teneatur contrarium, ut testatur Bajard. q. 99. n. 2. seqq. Et in Curia Romana pluries se vidisse dicit Sebastian. Guazzin. de defensorum def. 33. c. 21. n. ult. vehi reos super curru, & affici forficibus ignitis, & conduci ad locum delicti, & ibi amputari manus, & deinde continuari in supradicto tormento, & postea suspendi, addit tamen pro salute animæ semper tutiorem esse sententiæ Covarruviæ. Ita etiam tyrannicum habetur lenta morte afficere delinquentem, speque & expectatione miseros torquere; *multo inertius est inquit Augustinus de Civitate DEI l. 1. c. 11. diu vivere sub timore tormentum. quam semel moriendo nullam formidare,* pertinet huc illud Seneca Tragici Oedip. v. 954.

Suppliciis eadem meis

Novetur. Iterum vivere, atque iterum mori.

Licet; renasci semper, ut toties nova

Supplicia pendas. Utere ingenio miser.

Quod sæpe fieri non potest, fiat diu.

Mors eligatur longa, quaeratur via,

Qua nec sepultis mistus & vivis tamen.

Exemptus erres.

Quod nunquam faciendum est, puta in casibus ordinariis: Sunt enim aliquando tam horrenda Crimina, de quibus illud Cæsaris apud Salsst. Catil. c. 51. vere dici potest: *quid acerbum, aut grave nimis est in homines tanti facinoris convictos, aut quis reprehendat, quod in parricidas reipublica decretum est?* ut adeo hæc res religioni Judicis relinquenda sit, qui pro rerum circumstantiis debet arbitrari.

X. Quæsitum apud Interpretes quondam constat, *decapitatus si per miraculum reviviscat, an rursus decapitandus sit?* ubi negativam tumentur Petr. Caball. cas. 257. n. 9. in fin. cent. 3. & communiter fere omnes, sed quaestione hac ridicula opus non esse recte dicit Zieriz. ad Constis. Crim. Carol. c. 98. illud tamen contingere posset, ut quis capitali sententia ex uno vel altero delicto damnatus ac punitus, majoris etiam Criminis postea reus deprehendatur, quo casu non immerito dubitare licet, *an hujus quoque respectu denuo plectendus sit?* equidem si sola condemnatio facta est, hanc causam esse, ut differatur executio, quando

Quando accusetur de graviori crimine notant Dd. *Farinac. in Fragm. Crim. in l. c. num. 609. Guazzin. d. l. def. 38. n. 2.* ut scilicet convictus majori poena afficiatur; Sed ubi jam executioni data sententia huic remedio locus non amplius superest. Ego existimo, distinctione rem expediendam, ut si crimen posterius non multum excedat prius, nihil suscipiatur, sin vero longè atrocius & immanius fuerit, servato ordine processus contra mortuos institui soliti, posse, quod supra simplicem vitæ amissionem in poenam ejusmodi facinoris, per leges statutum est, utriqùe suppleri, si de jure loquamur *arg. l. 27. pr. ff. ad L. Aquil. l. 48. cod. l. 11. §. 2. de serv.* quanquam non facilè eò deveniendum, nisi publica utilitas id efflagitet.

CAPUT III.

De jure Magistratus quoad Continuan-
dam poenam in bonis, juribus, ac memoria punitorum.

SUMMARIA.

1. Continuetur poena non tantum in ipso defuncti cadavere, sed & bonis, juribus, memoria, Confiscatio bonorum quomodo fiat. *Aedes diruuntur.* 2. An & communes. 3. An dotales, an in quibus uxor tacitam hypothecam pro dote, aut alii creditores pignus habent. 4. Damnatio memoriae quid, & quomodo fiat. 5. An hæc continuatio poenæ post mortem ab injustitia defendi possit? quid alii sentiant. 6. Auctoris opinio. 7. Filios & propinquos hoc casu non puniri per partes ostenditur. 8. Quid Magistratui inferiori hæc liceat.

I. Porro continetur in punitis poena non solum quod cadaver defuncti ipsum, atinet illis modis, de quibus hætenus diximus, sed sæpius etiam ratione ejus honorum, jurium, memoria, in casibus scilicet jure expressis, in aliis enim id non fieri notant *Angel. in l. 1. C. de def. civ. Dec. consil. 410. col. pen. & alii apud Peregrin. de jure fisci l. 4. tit. 5. n. 18.* Ita confiscantur bona, etiam post mortem delinquentis in crimine læsæ Majestatis *l. fin. ff. l. 5. pr. 6. 7. C. ad leg. Jul. Majest. & quidem omnia bona,*

bona, tam spiritualia *Gloss. in cap. felicitis* verbo damnentur de pön. in 6. *Zoef. ad titul. ad L. Jul. Majest. n. 17.* etiam Juri dictiones quas habet, & feuda secund. *Bartol. in extravag. qui sint rebelles in verb. rebellando num. 18.* adde *Zoef. d. l. & hoc quidem ipso jure d. l. 5. pr. § c. 5. §. si qua vero § seq. de pön. in 6.* ita tamen ut sententia declaratoria accedat *Zoef. d. l. in fin.* tum propter *l. 15. pr. qui § a quibus manumiss. l. 22. pr. de jure fisci*, tum quod debeas esse convictus *l. fin. C. ad Leg. Jul. Majest.* quod sine sententia fieri nequit, cum sola accusatio aliquem, ne quidem reum faciat *l. fin. C. accus. Habn. Obs. ad Wofenb. tit. ad L. Jul. Majest. n. 7. verb. bonis q. Fach. 9. Controv. 35. Carpzov. Prax. Crim. p. 1. q. 41. n. 100.* Aliquando etiam ædificia diruuntur *Heig. p. 2 q. 37. n. 53.* uti ursus in crimine perduellionis contingit, quanquam *Afflic. in tit. qua sint regalia verb. § bona committentium num. 37. in 104 speciali* putet solum in occidentibus Cardinalem, iddici posse, propter text. in *d. c. 5. de pön. in 6.* addit tamen de consuetudine servari, quocunque modo illud sit commissum. Sicut jam olim Romanorum antiquorum tempore hanc pœnam imponi solitam esse demonstrat, *Pract. Montel. p. 4. num. 361.* ita *Cassii Goff. ædes publice dirute* leguntur apud *Livium II. Hist. 41.* & in universum antiquissimum esse institutum tradiderunt *Petr. Faber. l. 1. Semestr. c. 8. Ærod. l. 2. tit. 13. c. 5.* diruuntur autem ædes usque ad fundamenta, ita ut non remaneant vestigia, quo casu omnia jura & privilegia amittunt, adeo ut nec reedificata recuperent *Gül. de P. P. l. 2. c. 9. n. 30. & in observ. Pract. l. 2. obs. 61. n. 1.* Imo nec reedificari possunt per *d. c. 5. de pön. in 6.* nisi speciali principis licentia *Gigas de Crim. les. Majest. l. 2. rubr. de pön. committ. Crim. Majest. q. 35.*

II. Quarunt hoc loco si domus ejusmodi diruenda puniri non solius, sed ipsi cum alio non delinquente communis sit, quid faciendum? videndi *Id. in d. c. 5. de pön. in 6. in primis Archidiacon. n. 13. in fine § n. 10. § Franc. n. 3. vers. quid. autem si talis delinquens Clar. in pract. §. fin. q. 82. n. 3.* quos allegat *Farinac. p. 5. q. 112. n. 117.* Nimirum distinguendum an plures domus habeat ita communes, an solum usam, priori casu facienda est earum divisio, & destruenda illa, quæ in divisione delinquenti assignata, secundum *Alberic. in tertia part. stat. q. 47. § Jul. Clar. d. l. n. 2.* posteriori vero dissentiunt, aliqui hoc casu non destruendam putant domum, sed pœnam commutandam *sec. Clar. d. l. § Farinac. d. l. quanquam hic infra q. 116. n. 34. secus statuere videatur. ex Roland.*

Roland. Confil. 7. n. 7. l. 3. quod scilicet destruenda sit, sed delinquens teneatur socio habenti partem in domo destructa ad solvendum pretium partis suae per *l. 6. ff. de captiv. & postlim revers.* Verum id probabile non videtur, unde enim solvet delinquens, cum tali etiam casu fere semper conjuncta sit confiscatio?

III. Quid si domus devastanda sit fundus dotalis, aut saltem uxor in ea pro sua dote hypothecam, aut alii Creditores pignus habeant? Dotalem dirui nemquam posse, volunt *Gigas d. l. q. 36. n. 2. vers. praedictam* questionem quae sententia juris ratione nititur, quod omnis alienatio voluntaria dotalis fundi marito prohibita *l. 4. §. 1. ff. de fund. dotal.* ad voluntariam autem alienationem etiam referendum sit delictum mariti quippe quod non nocet uxori *l. 2. §. 1. ff. eod. Eckolt. ad d. tit. ib. 2. n. 3.* quod si mulier solum habeat hypothecam, de jure quidem idem procedere, sed consuetudine contrarium servari, si poena diruitionis sit imposita astatuto, testantur *Alberic. d. l. q. 7. Decian. Tr. Crim. l. 7. c. 40. n. 57. Clar. d. l. n. 4.* sed *Baldus in l. pignus C. de pign. act. & Roman. Confil. 128. ad fin.* etiam si ex forma statuti domus delinquentis destrui debeat, nihilominus uxor hypothecariam in ea praetendens, destructionem ejus impedire posse putant, cum translatio in fiscum jus hypothecae non tollat. Quod & de pignore caeterorum creditorum asserunt nonnulli. Alii distinguunt, an ultra domum devastandam remaneant delinquenti alia bona, ex quibus creditoribus possit satisfieri, & tunc ex eorum pignore & hypotheca, non impediri diruitionem domus, secus si non supersunt alia bona pro satisfactione ipsorum creditorum; Sed jam diximus quod hoc nunquam fere contingere possit, cum diruitioni fere semper conjuncta sit omnium bonorum confiscatio. Placet ergo mihi *Karinacti d. p. q. 106. n. 9.* responsio, quod hoc casu devastatio utique non impediatur, sed quando non adsunt alia bona fiscus de suo teneatur satisfacere, tam uxori quam aliis creditoribus hypothecam in ea domo habentibus, & pro hac potius sententia facit supra allegata *l. 6. ff. de captiv.* sicut & nominatim in causa dotis tradit *Bajard. ad Clar. d. q. 32. n. 98.* & quoad Creditores etiam admittit *Decian. Tr. Crim. d. l. 7. c. 40. n. 37. pr. vers. quin imo creditoris.*

IV. Quod continuationem poenae ratione *jurium* attinet, in eo consistit, ut amittantur omnia jura, privilegia, beneficia, tam quae ad civitatis, quam familiae statum, ad dignitatem, ad honores pertinent, quibus

quibus citra hoc, etiam post mortem ejus, in posteris suis fuisset gavius, sicut in punitis ex Crimine læsæ Majestatis ejusmodi specialius recenset *Farinac. d. q. 116. n. 42. seqq.* Inprimis autem damnatio memoriæ graviter hanc rem exprimit, quæ nihil aliud est, quam cum nomini perpetua infamie nota inuritur, ut perpetua de eo conservetur infamia, explicante *Menoch. Consil. 99. n. 53.* Ubi ex *Conrado Bruno. l. 5. de heretic. cap. 17.* damnationis hujus originem ex Ecclesiarum veteri usu repetit, quæ in more habuerint, ut omnium Catholicorum Episcoporum nomina Diphticis inscriberent, & inter divina recitarent, quorum ergo memoriam damnaverint, eorum nomina ex Diphticis exemisse, nec eorum ullam inter divina vel memoriam egisse, vel recitasse nomina, additque exempla Aphicani & Bracharensis Concilii. Sed quicquid sit antiquissima sane est hæc consuetudo, nam & apud *Agyptios* obtinuisse refert *Diodorus Siculus l. 16. c. 6.* ut Sacerdos regis quoque demortui res gestas prælegeret, ac prout de Rep. reperiretur meritis, vel secus, ita sepultus fuerit vel insepultus abjectus, damnatæque ejus memoria. De *Syracusanis* idem fere in defunctis Tyrannis statuentibus notat *Liviur lib. 24. c. 21.* Nec penitus dissimile est huic rei, quod in monumentis *Judaorum* docemur, qui illis solummodo Regibus regiam sepulturam concesserint sepulchrisque regis eos intulerint, qui piam honestamque vitam egerant, ceteros inde arcentes, adeoque post mortem quoque memoriam eorum ignominia afficientes. Vide exempla in *Rege Joa, II. Paralip. c. 24. n. 25.* & in *Rege Aba II. Paralip. c. 28. n. 27.* Apud *Romanos* autem idem frequentissimum fuisse, non solum historiæ testantur, sed & in jure nostro passim mortuorum memoriam damnatam legimus vid. l. 6. §. n. ff. de injust. rupt. irrit. l. 76. §. ult. de legat. 2. l. 32. §. 7. ff. de douat. inter vir. & uxor. & speciatim in Crimine Majestatis læsæ hæc quoque pœna statuitur in l. 6. pr. & l. ult. C. de Leg. Jul. Majest. §. 3. ff. de public. judic. add *Illustris Strauchius, præceptor post fata venerandus Jure Justin. Dissert. 29. th. 31.* quod tamen ad primam solum speciem sc. perduellionis crimen pertinere præter *Bartolum, Salycetum, Angelum* aliosque allegatos a *Peregrino de jure, ffci l. 4. tit. 3. n. 19* præclare docuit *Menoch. d. Consil. 99. n. 56.* ubi etiam diversam esse a confiscatione bonorum pœnam, & quomodo invicem differant, explicat, sequiturque *Christin. Decision. Belgic. vol. 4. tit. 8. dec. 196. n. n. seqq.* Quali autem modo apud *Veteres Romanos* factum hoc fuerit, vel in exemplo *Manlii disci* potest, ex *Livio l. 6. c. 20. adj. Et mor-*

tuo nota

tuo nota publica una, quod cum domus ejus fuisset, ubi nunc ades & officina moneta est, latum ad populum est, ne quis Patricius in arce aut Capitolio habitaret: Gentilitia altera, quod Gentis Manliæ Decreto cautum est, ne quis deinde M. Manlius vocaretur, de C. Cassio & Sp. Melio, P. P. Junius Junior in viris illustribus dum Q. Cincinnati Dictatoris gesta recenset, de M. Vacco Cicero in orat. pro domo sua similia ferre retulit. Hodie in casu Criminis perduellionis, aut similibus ubi memoria damnari solent, is fere ordo servatur. ut nomen Rei ex matricula publica, qua cives aut familiae illustres consignantur, deleatur. insignia gentilitia confringantur, dignitatis aut honoris indicia alia quæcunque aboleantur, famosæ statuæ erigantur, quibus atrocitas criminis commissi, infecutaque poenæ series describitur, atque ita nota perpetuo duratura inuritur, sicut palam constat. Exempli loco apponemus formulam sententiæ in Galliis contra Colinium mortuum latae, prout a Thuano, loco quem supra memoravimus ea refertur: in qua postquam ce u Majestatis reus, pacis & tranquillitatis publicæ hostis, & initæ adversus Regem conspirationis author damnatur bonis omnibus fisco additis, ejus memoria infamatur, nomen in perpetuum aboletur, decreniturque, ut corpus illius, si suspiciam inveniri posset, aut si minus, imago crati imposita a Carnifice per urbis vias raperetur vel in Ripensiforo ad paribulum suspendatur, atque inde ad Monsalconias furcas editiore loco transferatur, ut insignia ad esudas equorum alligata, itidem in sempiterna ignominia testimonium per urbes raptentur, & ubicunque locorum toto Regno in ejus honorem erigantur, & ob decus affixa comperientur, à carnifice publice confringantur, ac lacerentur, statuæ itidem ejusdem & imagines ubique concerpantur, & aboleantur; Aedes illius primariæ Castellionæ ad Lupam solo aquentur, nec ibi fas sit, unquam ædificium instaurare, arbores in illius septo admodum altitudinem cadantur, solum sale conspergatur. & in media area, columna statuatur, cum lamina area, cui S. C. hoc inscribatur, tum illius liberi, ignobiles & intestabiles pronunciantur, & indigni, qui publicis muneribus fungantur, aut ullis bonis in Gallia fruantur, iis si qua possidere compercantur, in fiscum redactis. Nescio, an huc etiam referre debeam illam consuetudinem, qua punitis ob latrocinium post executionem peractam, tabulam in qua scripta & annotata sunt omnia & singula rei facinora, una cum baculis, ramis aliisque instrumentis, quibus latrocinia commisit, juxta numerum Personarum occisarum rotæ affiguntur.

ffigi tradit *Fodocus Damboud. prax. Crim. cap. 86. n. 7. & præjudiciis allatis confirmat Carpzov. prax. Crim. p. 1. q. 23. n. 68. seqq.* Ut ut enim id propterea fieri iidem observent, ne executio pœnæ oblivioni statim tradatur, sed homines longe diuque istius memores, ab ejusmodi facinoribus & Criminibus deterreantur, videtur tamen aliquo modo ad augendam insuper infamiam, hujusque memoriam longius continuandam esse comparatum.

V. An autem ab injustitia defendi possit isthac continuatio pœnæ post mortem delinquentis, quæ in bonis ejus, juribus ac memoria contingit, non immerito quæri potest, cum factio filii ac ceteri propinqui, adeoque illi qui nihil commiserunt puniantur, omnium vero juri adversum sit, ut quisquam delicti immunis, ob delictum aliorum puniatur; Docet id jus divinum pluries *1 zech. c. 18. v. 20. filius non portabit iniquitatem patris, nec pater filij add. Deut. 24. n. 16. 2. paralipomen. 25. v. 4. & repetunt jura humana, Canonica æque, can. 6. caus. 1. q. 4. ac Civilia in l. 26. de pœn. unusquisque ex suo admissio sorti subicitur, nec alieni criminis successor constituitur l. 22. C. eod. Sancimus ibi penam esse, ubi & noxa est. Propinquos, notos, familiares, procul a calumnie submovebimus, quos Reos sceleris societas non facit, nec enim adfinitas, vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur suos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam reperiat delictum add. l. 17. §. 1. de jure patronat. t. t. C. ne filius pro patre l. 7. pr. de bon. damnat. unde ejusmodi leges, quæ filios quoque ob parentum crimen prosequuntur, quales apud Persas obtinuisse Herodor l. 3. c. 109. & Justin. l. 10. c. 3. n. 6. apud Macedones vero Curtius l. 8. c. 6. n. 28. tradit, seu abominande, & que diritate omnes leges superent, inculpantur ab Amniano Marcellino l. 23. Et notum est, quod ex Interpretibus nostris, multi eo quoque nomine graviter accusent Constitutionem l. quis quis 5. C. ad L. Jul. Majest. vid. *Wissenbach. p. 2. D. 24. th. f. 12. Bach. ad Treut. vel. 2. D. 32. E. Kohl. ad tit. ff. ad Leg. Jul. Majest. n. 12. H. Grotius de l. B. & P. l. 2. c. 21. n. 13. ibique Ziegler. p. 490. & ad Lancellotti Institut. Jur. Cau. p. 948. aliique plures. Equidem me non latet ex adversum etiam multos esse, qui pro justitia quoque hujus legis pugnent, confer Summum Sive Consultum D. Georgium Adamum Struovium syntagm. jur. civ. Exerc. 49. th. f. 20. in fine. Tabor. part. Elem. p. 4. sect. 2. Conclus. p. 231 & in Racemat. Crim. tit. ad L. Jul. Majest. Jacob. Geibhofred. dissert. ad d. l.**

ad d. l. quisquis c. 16. sed diversis rationibus: quidam illud *Taciti* *XIV. Annal* 44. 7. applicant, habere aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra singulos utilitate publica rependatur: alii expresso jure nituntur, ad argumenta autem adducta respondent, ea vera esse regulariter & in criminibus ordinariis, exceptionem tamen habere in criminibus exceptis, qualia sunt atrociora ista perduellionis & prodicionis, cujus exceptionis ratio in eo ponatur, quod in filiis paterni hereditarie vitii exempla metuantur, præcavendum ergo sit Reipublicæ, hos quoque puniendo, ne id fiat, sicut pluribus allegationibus demonstrat *Farinac. d. q. 116. n. 73.* sed hanc rationem pridem refutavit *Dionysius Halicarnassensis l. 3. Antiq. Rom.* ex eoque *H. Grotus l. ubi ostendit*, iniquam esse rationem, quæ obtenditur, quod parentibus similes futuri putantur cum id incretum sit, nec incretus metus ad pœnam aut mortem cujusquam sufficere debeat, Propius rem videtur tetigisse *Menocho. d. Consl. 99. n. 20.* qui dicit quod filii hi puniantur in Pœnam patris, ut scilicet hæc pœna magis & patres affligat, quam rationem testimonio *Ciceronis l. 1. epist. ad Brut. 12.* comprobat, dicentis. *quod acerbum sit parentum scelera filiorum pœnis suis sed hoc præclare legibus comparatum est ut caritas liberorum amictores parentes Reipublica redderet.* Sed nec hoc mihi sufficiens videtur argumentum, si quidem causam impulsivam & externam vel finalem tantum exponit, quæ moverit legislatores, ut tales severiores pœnas constituerint, non vero formalem & intrinsecam ex illa solum *civilliter*, ex hac vero *moraliter* justum aliquid esse censetur, de posteriori autem hic potissimum sumus solliciti.

VI. Ut & ego dicam quid mihi videatur, omnino certissimam, nullique exceptioni obnoxiam regulam esse puto, in foro humano neminem reatus immunem, ob alienum delictum, salva justitia posse puniri, cujus rei ratio in eo consistit, quia obligatio ad pœnam oritur ex merito, meritum autem est aliquid personale, quippe cujus fundamentum est sua cujusque voluntas, qua homini nihil magis proprium, quæque nisi ex motu intrinseco vitium contrahere non potest, sicut præclare explicaverunt *H. Grot. d. l. 2. c. 21. n. 12.* & *Pufendorf. de J. N. & G. l. 3. s. 3. n. 33.* ubicunque ergo non est tale meritum, ibi nec potest esse pœna, & hoc est, quod vulgo dicitur *noxa caput sequit.* Tale autem meritum propter solum vinculum sanguinis, aut aliam connexionem interierem in alterum derivari nequam potest, delictum paternum esse potest

potest occasio, pœnæ filio infligendæ, sed non causa, docente eodem Pufendorffo de I. N. & G. l. 1. c. 9. 2. Sed dices Tamen filius aut quicumque alius heres tenetur de debitis patris vel defuncti, etiã personalibus, si ex contractu descendant, cur ergo non etiã de debitis ex delicto? Respondeo cum Paulo in l. 20. ff. de. pœn. si pœna alicui irrogatur receptum est. Commenticio jure, ne ad heredes transeat, vera autem causa hujus diversitatis si recte judico, a nemine rectius, quam Grotio explicata est, quod scilicet filius aut heres personam patris vel defuncti representet, non in meritis, quæ sunt mere personalia, sed in bonis, quibus ut cohærent ea, quæ alicui debentur, ex ipsa rerum inæqualitate simul cum dominio fuit introducendum d. c. 21. n. 19. & l. 2. c. 14. n. 10. Conf. Pufendorff. d. I. N. & G. l. 11. 12. Quid ergo ad supra allegata jura? Distinguo inter pœnam veram & apparentem, vel potius inter ipsam pœnam, & pœnæ effectus. Nullo casu pœna potest communicari delicto non communicato, & hoc volunt illi ex divino humanoque jure adducti textus. Interdum tamen effectus pœnæ ad alium non delinquentem, sed ipsi delinquenti intime conjunctum potest extendi, ita tamen ut id huic quidem noceat & malum sit, pœnæ tamen rationem non habeat, cujus rei multa in jure nostro, habemus exempla: Ita Edictum de novo jure impetrato pœnale est, & tamen in l. 3. §. 5. ff. quod quisque juris in alium &c. dicitur ad heredem transmitti, sane pœna non transmittitur, ut quam defunctus sustinere debebat, hac ipse affligi debeat, contra §. 1. l. de perpet. & temp. act. sed effectus pœnæ quatenus bona ad ipsum delata hoc quoque vitium secum afferunt, ut in judicio contendere nequeat, quin hoc quoque jus patiatur, adeoque malum in eo sentit, quod hereditas diminutio transeat, ut explicat Cujac. ad d. l. 3. §. C. I. A. d. t. n. 8. quod fit in omnibus pœnalibus actionibus ubi defunctus pecuniariter punitur, quoniam is, qui succedit, tanto minus ex ista hereditate consequitur, quanto plus perpœnam abscessit, atque ita pœnam sentit, rati ne effectus, sed non potest dici, quod puniatur. Et hoc posterius contingere etiã puto in posteris punitorum eorum, de quibus loquimur, siquidem ea continuatio pœnæ, qua pœna est, utique ad defunctum pertinet, sed vis ejus indirecte etiã filios ac propinquos tangit.

VII. Nam quod confiscationem honorum paternorum attinet, sentiat quidem incommodum liberi, sed proprie ea pœna non est, quia bona

bona illa illorum futura non erant, nisi a parentibus ad ultimum spiritu
essent conservata, ut ait *Grot. d. l. 2. c. 21. n. 10. Puf. 1, 9, 2.* Ergo hoc modo
liberis nihil aufertur, quia ea nondum habent, *est enim preposterum se-*
cundum Paul. in l. 63. pr. in fin. ff. ad L. Falcid. ante nos locupletes dici,
quam acquiserimus. Idem de cæteris juribus dicendum, quod priven-
tur successione, tam ab intestato, quam per Testamentum ipsis obve-
niente aliisque beneficiis juris civilis, quæ mediante patre a principe
aut legibus istis fuere tributa, nam in hæc principis potestas utique se
exerit, quod recte ab Alpheno in l. 3. ff. de interditi. & releg. notatum,
cum ait, *patris pena amittere liberos id quod ab ipso perventurum esse*
ad eos, quæ vero non a patre, sed a rerum natura, aut aliunde tribuere-
ntur, ea manere incolumia, ergo quæ juris naturæ aut gentium sunt,
quoniam neclæxæ Majestatis reus ipse amittit, ex communi Dd. senten-
tia *Bartol. in extravag. qui sint rebelles verbo rebellando. n. 17. Anchor*
in clem. pastoralis n. 25. col. penult. ad fin. de sent. & re jud. nec filii a-
mittent. Cum igitur disceptatur inter Dd. an filii propterea etiam
priventur legitima, nec affirmantium, Martini Laudensis, Aretini,
Cæpollæ, Barbatii, Julii Clari, Menochii, Alciati, Peregrini, nec negan-
tium Joh. de lign. & Jo. de platea quos allegat *Fabricac. d. q. 116. n. 77.*
seqq. sententiâ absolute vera est, sed cum distinctione, quatenus legiti-
ma consideratur, vel formaliter ratione definitæ quantitatis, vel mate-
rialiter ratione ipsius juris succedendi, priori modo considerata, quia
juris civilis est, sicut etiam *portio per leges definita in l. 36. §. 1. C. de in-*
offic. testam. & ex legibus debita dicitur omnino eis poterit auferri, quo-
nam & ista statuto minui æque potest ac tolli, per allegata Gail. II. obs.
122. n. 9. non autem posteriori, prout ex jure naturæ descendit, quo sen-
su etiam *naturale debitum* vocatur in l. 36. §. ult. C. de inoff. testam. add.
Illustris Strauchius Jur. Instin. Dissert. IX. tbes. 35. & Bernhardus Sutholtz.
in Dissertat. unde viginti dissert. 9. aph. 34. & seqq. Unde nec injustitiæ ac-
cusari potest princeps, quando *dignitate* hos filios privat ab ipso prin-
cipe læso adepta siquidem solum aufert princeps, quod suum est, idque
facit timore illo, ne filii hi sint imitatores paternorum scelerum, quod
ex *Alph. de Castro. l. 2. just. hered. pun. n. 11.* notat *Menoch. de Consil.*
99. n. 218. ut lucro potius quam jure suo privari videantur *arg. l. 24. §.*
ult. & l. 26. de damn. infect. idque multo magis dici potest, si in futu-
rum demum ab honoribus arceantur cum enim in arbitrio civitatis sit

qui velit honores mandare, ideo ipsa suo jure abhonoribus potest ar-
 cere, etiam tales qui nihil peccaverunt, ubi ex usu reipublicæ id esse ju-
 dicatur, dicente *Pufendorf* de I. N. & G. l. 8. c. 3. n. 32. in fin. sicut in
 universoni si quid habeant aut expectare possunt perduellium liberi, in
 quod jus proprium sit non ipsis, sed populo aut Regi, id auferri ipsis
 posse jure quodam dominii, cujus tamen usus simul in pœnam redun-
 det eorum qui peccaverunt, dum propter ipsos carissimum coguntur in-
 gloriæ vivere, observat *Grot.* d. l. 2. c. 21. n. 16. Quod damnationem me-
 moriæ attinet, justo durius videri posset, quod & ipsi filii fiant non so-
 lum ignobiles iterum, sed & infames, verum si recte explicetur, & hic
 infames, verum si recte explicetur, & hic nihil contra justitiam com-
 mitti apparebit, ut enim natales aliquem nobilem faciant, non est ex
 natura, sed ea prærogativa oritur ex impositione & indultu Civitatis,
 quæ constituit ut certus status, cui annexa certa jura, gradusque existi-
 mationis, in aliquem semel collatus, ad ipsius posterum circa novam
 collationem per solos natales derivetur, quod si ergo alicui ob deli-
 ctum ista prærogativa adimitur, ejus sane neque natura neque animus
 mutatur, aut quem ex Majoribus traxit sanguis, neque efficitur ut pa-
 rentibus nobilibus non sit natus, sed adimitur duntaxat ipsi status atque
 jus nobilitatis, in ea civitate competens, quo facto nec filii postea nati
 amplius nobiles censi possunt, ipsis autem nihil auferitur. Idem de
 infamia dicendum, sicut enim existimatio alia est naturalis, quæ ani-
 mi bonitate & honestate vitæ oritur, nec aliter nisi cum ipso animo
 honesto perire potest, alia civilis quæ ex impositione summi Imperan-
 tis dependet, & in effectibus potissimum civilibus externis variis consi-
 stit, eoque a civitate ex causa a quibusdam separari potest, illa salva
 manente, cum ergo perduellium filii dicantur fieri infames, non de ipso
 statu infamiæ, naturalis, sed exterioribus effectibus civilibus intelli-
 gendum, quorum negatio eo ipso contingit, quo medium, per quod
 in filios alias fuissent devoluti, in patre sublatum est, ut adeo nec hic fi-
 liis, quod jam habuere, auferatur, & hinc apparet quoque ratio, cur
 ab hac participatione infamiæ immunes sint filii ante delictum patris
 nati (nam hanc sententiam veriore & communem, ab eaque in judi-
 cando & consulendo recedendum non esse, constat ex Allegatus apud
Parinac. d. q. n. 92.) nimirum quia eo tempore quo nascebantur pa-
 ter adhuc erat integri status, quinimo nec in legibus ipsi filii post deli-
 ctum

Etum perpetratum, adeoque amissam exultimationis integræ prærogativam nati, dicuntur *infames fieri* ita ut in eorum persona infamia radicetur, sed solum *infamis paterna eos comitari vid. l. 5. §. 1. C. ad Leg. Jul. Majest.* hæcenus ut esse Etum suum in iis quoque ostendat, quod in quonam consultat statim subjecta verba declarant, ut scilicet ad nullos *prorsus honores ad nulla sacramenta perveniant* intellige in civitate eadem. Nam in aliis Rebus publicis, id eis non obesse quotidiana exempla docent. Ut adeo firmiter concludere possimus, continuari hæc omnibus modis pœnam, qua pœna est præcise in ipsis punitis vel defunctis, ut ut exinde damnnum sentiant posteri, pœna autem eos non affici, nam non omne damnnum ex pœna descendens, ipsa pœna est, quia ad hanc præcise meritum requiritur, quod secus in illo est, neque id etiam principi potest imputari, qui utitur suo jure, valet ergo hic & illa regula, à *Grot. de I. B. & P. l. 3. c. 1. n. 4.* notata *ad jus agendâ multa consequi indirecte & extra agentis propositum, ad qua per se jus non esset.*

VIII. Quæ hæcenus diximus ad Principes aliosque Imperantes summos pertinent. Magistratus vero inferiores quod attinet, illorum potestas hæc præcise ad *Leges & Consuetudines loci, aut expressam principis voluntatem est restricta*, tam circa impositionem, quam executionem sententiarum, ita ut circa cadavera punitorum parum amplius habeant juris, nec pœnam ulterius, quam ista norma permittit extendere, aut post executionem continuare queant. Unde si in quibusdam provinciis consuetudinibus non est, ut ob rapinam vel furtum puniti rotæ exponantur, sicut de Marchia *Brunnemannum* testari supra diximus, quod ubi id fieri debeat a Collegio in sententia exprimendum sit, aut quando reus ad patibulum ita non fuit condemnatus, ut ibi relinquatur, tunc Judex corpus tradi sepulturæ non permittens, incurrit pœnam privationis officii & exilii, & insuper tenetur familiæ, & propinquis puniti ad satisfactionem injuriæ, & damni induplum *Novell. 134. c. 3. Bernard. Rossignol. ad Jul. Clar. d. l. n. 1. 2. Petr. Theodoric. Colleg. Crim. pract. c. 10. n. 9. in fin.* Idem est, si deponere rota jussus a superiore, id non agat.

De jure Magistratus Circa poenam ulteriorem
punitis remittendam, tum in Cadavera in poena
mortuorum, ac ab aliis punitorum.

SUMMARIA.

1. Remissio poenae quotupliciter heic fiat, & ex qua ratione;
2. In depositione cadaveris à rota aut patibulo quanam consideranda.
3. An ad furcam condemnato & suspensò, si rupto laqueo in terram cadat. aut suffocato aquis, si deinde refocillatus fuerit, ulterior poena remittenda.
4. An ad petitionem puellae furi laquei poena possit remitti.
5. Restitutio famae an & quatenus post mortem fieri possit.
6. Quid juris competat Magistratui in cadavera punitorum, eorum qui mortui in poena.
7. Et qui ab alio principe puniti.

I. Sed hæc de jure Magistratus circa cadavera punitorum, quoad continuandam poenam sufficiant. Circa poenam vero remittendam Magistratus versatur, quando continuationem poenae ulteriorem tollit eoque remittit, quod fit vel depositionem cadaveris erota aut patibulo concedendo, vel etiam defunctum ita famae restituendo, aut infamiam abolendo. Utrumque autem facit vel motu proprio, sicut contingere interdum solet, ut princeps qui vel affectibus impulsus; vel obrutus nimia celeritate in condemnando suapte sponte postmodum damnatum innocenter ac punitum, quantum potest restituit, vel ad intercessionem aliorum, cognatorum, propinquorumque, sed & extraneorum, punito amicorum.

II. In depositione cadaveris praesertim ad intercessionem aliorum facta, consideranda sunt ejus antecedentia, actus deponendi ipse, & consequentia. Antecedentia sunt, ut cadaver ad sepulturam ab aliquo petatur, à principe autem permittatur. Peti ergo debet: Anne autem Judex cognatis permittere tenetur sepulcrum, aut non impedire, quamvis absque venia petita eam susceperint; distinguit *Ulpianus in l. i. ff.*

l. 1. ff. de cadav. punit. interni mores veteres & jus recentius, corpora eorum qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt, & id se observasse etiam Divus Augustus l. 10. de vita sua scribit. Hodie autem eorum, in quos animadvertitur corpora non aliter sepeliuntur, quam si fuerit petitum & permiffum. Cafus enim hujus legis, nifi fallor ille est, quod cadaver capitaliter puniti ad feputuram fumere, agnati aut propinqui proprio aufu voluerint, à judice autem propterea impediti fint, quod fine principis voluntate id egerint, nam principis indultum non impetraffe eos vel inde conftat, quia ahas Judex ablationem cadaveris non fuiffet denegaturus. at fermo eft de tali casa ubi corpus fuit denegatum, & videntur etiam illi abletores provocaffe ad mores hafcenus ita fervatos, quod feputura impediri non poffit, cum vero à Judice non audiebantur, Ulpianum Confilium fuper eo petitum, acceffiffe, à quo & hoc acceperint refponfum, quod olim quidem nunquam negata fuerint talia cadavera cognatis, ergo nec etiam tunc, cum fpecialiter non erat petitum, idque Augustum quoque observaffe, fed hodie non aliter concedi, quam fi petitum. Et hoc noftris quoque moribus fervatur, in illis qui ob latrocinium aut furtum rotæ imponuntur, aut patibulo fufpenduntur, ut fepleri à nemine poffint, nifi id fpecialiter, & quidem à Principe fuerit petitum, fecus eft in illis, qui propter homicidium Capitali fupplicio fimpliciter afficiuntur, quibus regulariter, etiam fine fpeciali impetratione, feputura conceditur. Poffe autem Principem quibuscunque cafibus feputuram permittere, expeditum eft, quia jus aggratiandi, eidem competens femper efficax efle poteft. Solere etiam nonnunquam in graviffimis delictis, ficut ex Lucio. 12. placitor. 10. & Pape 8. arref. 4. Gotthofred. in not. ad l. 1. ff. de cadav. punit. lit. l. refert, idem permiffum fuiffe à fenatu Parifienfi cognatis advocati cujufdam Majeflatis damnati. Alia quaeflio eft, an permittere etiam id debeat, quoties cunque petitur? ubi iterum ex d. l. 1. conftat, efle cafus, ubi juftè denegari poffit, nonnunquam, ait Ulpianus, non permittitur, maxime majeflatis causa damnatorum, cadavera fi fuerint, idemque in rotæ affixis & fufpenfis quandoque obferitur. Magiftratus autem inferioris poteftas heic fere nulla eft, per expreffos textus l. 9. §. 11. l. 27. pr. l. 31. ff. de pæn. tum quod jus aggratiandi, reisque pænæ veniam indulgendi inter regalia referatur, juxta communem politicorum ac Jure Confultorum fententiam, Farinac. prax. crim. l. 1. tit. 1. q. 6. n. 22.

Heig.

Heig. part. 2. q. 22. n. 6. Bodin. de republ. l. 1. c. 10. Besold. class. 1. disputac. polit. 3. th. 14. tum quod Magistratus ac inferiores Judices semel iudicata, mutare non possint *l. 55. de re judic.* tum quod Magistratum iudicia, legibus sint obstricta, pœnam autem remittere est contra legem agere, quod nemo potest, nisi qui legibus solutus, id est solus Princeps Summus. Ubi nec excludimus Principes ac status Imperii nostri, per alleg. à *Carpzov. Pr. Crim. p. 3. q. 150. n. 19. seqq.* licet enim Majestatem proprie dictam non habeant, est tamen superioritas illa territorialis, Species quædam analogæ & Majestati proxima, ob quam tantum in suo territorio posse dicuntur, quantum alii Summi Imperantes in sua civitate. Cæterum in actu depositionis ipso notandum, quod ille per Carnificem quoque fieri soleat, rarius per milites, *consequentia* absolventur causæ, propter quas eadem suscipitur, suntque vel sepultura, vel anatomia, vel similis.

III. Quærent hac occasione si ad furcam condemnatus & suspensus rupto laqueo in terram cadat, an ulterior pœna ei remittenda, an de novo suspendendus sit? Sunt qui affirmant, sunt qui negant, sicut ex longa nominum recensione constat ex *Carpz. Prax. Crim. p. 2. q. 88. n. 32. seqq.* omnino si de jure loquamur, hoc parum prodesse ad plenariam absolutionem certum est, propter verba sententiæ inseri solita mit dem Strang vom Leben zum Todt gestrafft. *Ord. Crim. art. 162.* sed tamen nec indistincte pœnam reiterandam censent. Præsertim si ex præsumtionibus solis condemnatus aut de innocentia sua protestatus sit reus, ergo non quidem remitti penitus, sed tamen mitigari poterit, ut loco pœnæ ordinariæ ei relegatio perpetua adjudicetur, quod præxiñ servare *Virgilius Pinguizerus q. 7. n. 9. & Carpzov d. l. n. 43.* docent. adde *Guazzin. de defens. reorum def. 38. c. 3. n. 3. Zxf. in Comm. ff. tit. de pœn. n. 48.* Idem fere dicendum, si ad culeum damnatus in aquis suffocatus, indeque extractus refocillatus esset. Videbis hac de re egregium præjudicium apud *D. Beier. dissert. de cad. punit. n. 11.*

IV. Sed anue ad petitionem puella in honorem matrimonii furi sit remittenda pœna suspendi? etiam disputatur. Afferunt *Paris de pu. tico in Tract. de syndicat. verb. pœna n. 3.* Ubi de practica Hispaniæ testatur *Didacus in 4. Decretal. n. 17. Chassen. ad. Consuet. Burgund. rubr. 1. §. 6. verb. nisi habeat abolutionem n. 96. seqq.* ubi tradit de generali consuetudine Franciæ servari, aliique phures, sed restringunt ad meretricem,

tricem, quæ hoc modo reducatur per matrimonium ad sanitatem mentis. Utuntur autem iis potissimum rationibus, quod magnus sit matrimonii favor *l. 1. ff. sol. matrim.* & quod qui meretricem errantem ab erroris ducat semita, magnum charitatis opus faciat, idque ei proficiat in remissionem peccatorum *c. 20. X. de sponsal.* denique quod fur nihilominus haud levi puniatur pœna, qui tale sibi scortum assumit. *E. contra negant Treull. vol. 2. disp. 30. thes. 3. lit. p. Harprecht. ad S. 5. J. de obligat. quæ ex delict. n. 71. 72. Gomez. 3. var. resol. cap. 13. n. 27. Jul. Clar. J. fin. q. 98. n. 6. Bocerus de furt. c. 3. n. 31. Zas tit. de pœn. n. 47. Coler. p. 2. decis. 238. n. 3.* ubi Jenenses ita respondisse ait, additque *Jac. Schultes ibi in addit.* hoc casu Electorem Palatinum in sua ordinatione A. 1582. Præfatis suis & Magistratibus remissionem pœnæ interdixisse. Et hæc posterior sententia etiam verior est, tum quod Judex supplicium jure determinatum strictissime irrogare debeat *l. 8. §. 2. C. ad L. 7. de vi publ. § priv. l. 15. pr. fin. ad Municip.* tum quod favor matrimonii tantum non sit, ut à pœna reum liberare possit, alias enim nemo ex conjugum ordine capitaliter deberet puniri, cum tamen velamento matrimonii pœnam criminis intermitti non debere rescribatur in *l. 27. C. ad L. Jul. de adult.* neque etiam istud charitatis opus, si quod esset, quando pia intentione ex lupanari aliquis uxorem duceret, in præjudicium Reipublicæ, cujus interest delicta puniri, potest valere. Atque hoc de Magistratibus inferioribus certum est. Quia autem summus Princeps tali casu, si velit, ordinariam suspendi pœnam remittere, eamque in mitiorem convertere possit, cum *Virgilio Pinguizero q. 8. n. 3. & Carpz. Prax. Crim. p. 2. q. 88. n. 30. seqq.* asserere nullus dubito.

X. Porro quod de restitutione fame ejusmodi puniti diximus, id mirum nemini videri debeat, sicut enim pœna mortuo addici, aut capitalis antea inflicta saltem continuari, ita etiam corona eidem adjudicari, aut adempta per infamiam irrogatam, existimatio, restitui potest. Nota sunt exempla eorum, qui ita nobilitatem recens sunt consecuti à Principe, ut eorum parentes & avi pridem defuncti simul in numerum nobilium connumerati, ac gentiliû signa eis assignata sint, hoc effectu, ut ejusmodi Nobilitatus statim inter antiquos nobiles possit computari. Atque ita etiam mortuos injuste condemnatos, vel juste quidem punitos, ex gratia tamen Principali restitutos memorat *Heig. p. 2. q. 37.*

E

n. 51.

no. 15. adducitque exempla ex *can. 3. c. 24. q. 2. Erod. rer. jud. l. 1. t. 6. c. 22. 23. l. 3. 16. c. 1. 2. 3. l. 9. tit. 15. c. 2.* Cujus rei ille effectus est, ut in posteris illa mala, quæ continuatio pœnæ paternæ affert, desinant, ac impedimento illo, quo per infamiam patri irrogatam, à privilegiis, juribus, beneficiisque variis detinebantur, iterum sublato, ad ista omnia aditus illis recludatur. Potest autem illa restitutio fieri vel in ipso supposito punito, vel solum in ejus descendensibus, priori casu non solum ipse punitus, sed etiam filii restituti censentur, licet eorum mentio nulla facta fuerit, sicut nominatim in restitutis in Crimine Majestatis ex *Giga de Crim. Majest. l. 3. rubr. de pœn. quas fil. incurr. q. 12. n. 7. & Decian. Tract. Crim. l. 7. c. 41. n. 40. notat. Farin. tom. 4. tit. 13. q. 119. n. 140.* earatione, quia filii efficiuntur infames propter infamiam patris, sublata itaque infamia principali, auferatur etiam accessoria. Si autem in filiis aut descendensibus solum restitutio fit, non tam restitutio, quippe quæ pœnam proprie talem in restituto præsupponit, quam indultum aliquod censi debet, quo effectus pœnæ, ad hos alias devoluti, suspenduntur, impediunturque. Est autem hæc restitutio vel *totalis* vel *parcialis*, illa plenariam restitutionem eorum quæ ex paterna pœna eis abfuerunt, continet, famæ nimirum, jurium & bonorum confiscatorum. Hæc vero partem solum aliquam. Cœterum fieri potest eadem restitutio non tantum *expresse* concessis desuper tabulis, sed & *tacite* sicut eo ipso, quod filius rei Criminis læsæ Majestatis, à principe est vocatus, admissus & tractatur, tanquam fidelis Vasallus, censi dicunt, cum absque alia expressa gratia, restitutum & habilitatum adversus omnes pœnas incurfas propter delictum paternum *arg. l. 32. ff. de jure fisci.* confer *Decian. d. c. 41. n. 44. & c. 49. n. 46. Farinac. d. q. 115. n. 139.* cum allegatis. Ubi ea etiam refertur ampliatio, quod filius restitutus & habilitatus à principe ad successionem bonorum paternorum & maternorum, censeatur etiam habilitatus ad successionem aliorum, agnatorum & extraneorum, etiam quod de illis in restitutione & gratia non sit facta expressa mentio quin & principem hanc restitutionem seu potius gratiam posse filiis facere, etiam antequam pater tale crimen committat, ex incerto auctore tractat. *Crim. læsæ Majest. q. 8. refert. Decian. d. c. 41. n. 41. & c. 49. n. 45* ubi ait, quando princeps filio ejus, qui alias incidit in hoc crimen & fuit restitutus, concedit præservativam gratiam, ut si pater iterum in idem Crimen incidat, illud filio non consentienti, &

enti, & non delinquenti, non noceat, talem gratiam omnino valere; idque pluribus comprobat. Cæterum quæ ante de *Magistratibus inferioribus* diximus, quoad remittendam pœnam, eadem & huc valent; quoad famam restituendam, quippe quod non nisi à summo Principe fieri potest, de quo amplius vide *Farinac. Prax. Crim. d. l. q. 1. num. 22. seqq. Peregrin. de jur. fisci. l. 5. r. 2. n. 2. Heig. p. 2. q. 22. n. 21. cum allegat.*

VI. Sed hoc ad punitos illos qui mortui sunt ex pœna pertinet. Quid vero de illis, qui solum in pœna mortui? hoc est quibus capitalis pœna non est inflicta, sed vel deportatio vel relegatio, durante autem hâc, mortem subierant naturalem, an in eorum cadavera quoque Magistratui quid juris suberet, & pœnam durare censerit potest? quod utique affirmandum. Unde nec tales post mortem in locum interdictum vehi, ibique in sepulchrum familiare inferri citra consensum Magistratus possunt. Est enim certa regula ubi quis vivus non potest manere, ibi nec mortuus sepeliri. *Bartol. in l. 2. de cadav. pun. Covarr. l. 2. resol. 1. n. 11. Peregr. de jur. fisci. l. 4. r. 5. n. 5. Vasq. Contr. illustr. p. 1. l. 3. cap. 96. n. 8. 10. at vero in loco, unde quis relegatus, manere non potuit, ergo nec mortuus inconsulto Principe eo transferri potest, quo pertinet l. 4. ff. d. pœn. & habemus expressum textum in l. 2. ff. de cadav. punit. si quis in insulam deportatus vel relegatus fuerit, pœna etiam post mortem manet, nec licet eum inde transferre aliubi, & sepelire inconsulto principe, ut sepissime Severus & Antoninus rescripserunt, & multis pœnitibus hoc ipsum indulserunt. Non ergo simpliciter a sepultura arcetur, aut indistincte transferri prohibetur, sed inconsulto saltem principe, quem admodum enim nemo privatus sua autoritate quenquam in insulam deportare, ita nec inde extrahere potest, & nemo potest commeatum & remeatum dare exuli, nisi Imperator, ex aliqua causa d. l. 4. de pœn. add. Heig. p. 2. q. 37. n. 31. Gomez. tit. 3. resol. 14. n. 8. Idem tamen & *Caballin. cas. 83. n. 1. seqq. & c. 265. id non procedere putant in ossibus banniti, quæ amplius non habent formam humanam, hoc enim in loco banni impune sine licentia principis, posse reponi, & ideo cautelam suppeditant attinentibus banniti defuncti, ut deponant cadaver in aliquo loco extra jurisdictionem principis bannientis, donec dictum cadaver amittat formam humanam, & deinde ossa & cineres in urna vel capsula reponant, & conducant in sepulturam suorum antiquorum, in propria patria, absque tamen solemnitate aliqua vid. Gnazzin. de defens. reor. defens. 38. c. 7. n. ult.**

E 2

VII. Re-

VII. Restat hoc capite, ut vel tribus verbis dicamus, quid Magi-
 stratus juris competat circa cadavera ab *alio iudice*, & quidem non
 subordinato, sed penitus diverso punitorum. Et primo quidem, sicut
 alias prae-textu debiti cadaver defuncti etiam puniti a creditoribus arre-
 stari neuntquam aut a sepultura detineri potest, de quo infra pluribus
 agemus. Ita nec princeps ejusmodi puniti cadaver, si per suam terri-
 torium, ad sepulchrum forte familiare alibi situm, transvehatur, per
 modum *repressaliarum aut pignorationis* poterit detinere, ne quidem
 jure gentium quo sepulturae causa valde favorabilis est, ut supra indi-
 catum; *Ann. autem propterea vestigial exigere possit?* videtur id affir-
 mandum propter *l. 35. pr. ff. de religiof.* ubi ejusmodi vectigalia, quae in
 itinere praestantur, dum corpus ex uno loco in alium defertur, inter
 funeris impensas computantur, quanquam Cujac. *l. 5. obs. ult. pro ve-*
stigalia ibidem *vestiaria* legendum putet, fretus lectione Basilicorum,
 ubi ita habetur. *καὶ τὸ τέλον καὶ ἡ σέρα*, καὶ ἡ *σάλ.* Alii tamen con-
 stantem ceterorum omnium codicum lectionem opponunt. Sed &
 idem Cujac. *l. n. obs. 21.* ejusmodi vectigalia sublata esse existimat per
l. fin. C. de relig. in nullo quopiam loco vectigal ab aliqua persona pro cor-
poribus ex uno in alium locum translatis praestetur, quod vix dici potest,
 illa enim constitutio non est authentica, sed a Cujacio ex Basilicis, sic-
 ut plures aliae, restituta, quae propterea vim legis haud obtinet. Quic-
 quid autem sit, testatur sane quotidiana experientia, cum cadaveribus
 comitantibus difficulter saepius aut saltem cum quadam indignatione
 a rusticae praesertim gentis hominibus, transitum concedi solere, sicut
 de hac re etiam conqueritur *Peckius de jure sistendi c. 5. n. 23.* an ex su-
 perstitione, dum agros per quos funera ducantur, steriles fieri sibi ima-
 ginantur, sicut & equos, qui semel funus deduxerint, nunquam laetos
 fieri vane credunt, an alia causa, nescio. Unde plerumque vel nocte
 vel sub praetextu aliarum rerum cadavera ejusmodi deducuntur, sicut
 autem ejusmodi transvectio sine permisso eorum fieri non debet, qui-
 bus jus est permittendi *l. 3. §. 4. de sepulch. viol.* ita vicissim officium
 Magistratus est, ne corpora aut ossa mortuorum detineantur aut ve-
 xentur, prohibeanturve, quo minus via publica transferantur, aut se-
 pellantur *d. l. 3. §. 4. & l. 8. eod. l. 38. de religiof. & sumpt. fun.* Quasi-
 tum memini an princeps si is, quorum pater ab alio Principe ob crimen
laese Majestatis damnatus ac punitus restituere possit saltem ratione infamiae?

mia? & quanquam aliqui distinguant in respectu ad *suum proprium*, & alterius illius *punitis principis* territorium, mihi tamen quæstio indistincte neganda videtur, quoniam condemnatio & restitutio idem subiectum desiderant. & inutilis foret ejusmodi restitutio, quoniam in respectu ad principem offensum ejusque territorium, id nullum effectum habere posse, omnes concedunt, per ea quæ habet *Decian. Tr. Crim. l. 7. c. 41. n. 32. & Turcremat. in c. quisquis n. 8. de pen. dist. 1.* quoad territorium autem proprium non opus est restitutione, cum effectus irrogata infamiae hoc casu ultra punitis territorium se non extendat. Sed & hic de principe utriusque summo, & non subor dinato loquimur, posse enim successorem ab Antecessore, & supremum ab intermedio punitis restituere, dubio caret.

CAPUT V.

De jure privatorum Circa Cadavera punitorum.

SUMMARIUM.

1. De jure privatorum circa cadavera punitorum.
2. Agnati officium sepulturae debent cadaveri puniti.
3. Sed certo ordine, & modo legibus publicis conformi.
4. Extranei quoque sepulturam petere possunt.
5. Medici etiam ad anatomiam, ubi queritur, an consuetudo quæ Medicis cadavera ad anatomiam conceduntur, sit rationabilis.
6. Ante anatomiam Medici cadaver petere debent. Ubi de Magistratu. An omnis etiam inferior, & an semper in quocumque cadavere, concedere possit.
7. An si Medici vivos ad supplicium condemnatos ad anatomiam petant, eis concedendi sint.
8. In ipsa sectione quomodo versari debeant Medici.
9. Post sectionem debent reliquias sepelire. Quid nuper in vicinis Academia circa hanc rem contigerit.
10. Medici ex cadaveribus sceleta faciunt, ac Medicinas.
11. Item pharmacopola & Chirurghi, & an salva conscientia, id facere possint. Item an Coriarii citra infamiam corium

humanum possunt tractare. 12. Spoliantes cadavera punitorum, quâ pœnâ puniantur. 13. Item qui eadem place auferunt. 14. Detentiones creditorum aut Clericorum, et Arrestationes horum cadaverum prohibita. 15. Aureus capitalis criminis post condemnationem testamentum facere possit. 16. An sepulturam sibi petere & eligere. 17. An ultima voluntate constituere possit, ut post mortem cadaver Medicis ad anatomiam concedatur.

I. Vidimus hæcenus, quid publicæ potestati circa punitorum cadavera liceat, igitur ex lege partitionis supra instituta transeundum, & dispiciendum, quid privati hæc competat. Hisque vel agnatis vel propinquis, vel extraneis, vel punito ipsi.

II. In agnatis ponimus officium sepultura cadaveri qua fieri potest, exhibendum. Apud veteres Gentiles circa cadavera suorum mortuorum varia fuere & dissimilia satis instituta, aliqui ea devorarunt, aut in mare ac sterquilinum abjecerunt, alii combusserunt, eorumque cineres in urnis varii generis reposuerunt, sicut ex conductis exemplis authorum, qui de jure manium ac ritibus funerum peculiare tractatus ediderunt, luculenter constat. Rectius autem Christiani defunctorum cadavera omni tempore mandarunt terræ, prout sacris literis docemur, ejusque rei procuratio postmodum legibus etiam civilibus, officio propinquorum, peculiariter est injectum, sicut alias mortuorum, ita etiam ultimo supplicio affectorum. Sed supra jam dictum est, ad hoc, ut punitorum illorum, præsertim qui rotæ imponuntur aut patibulo affiguntur, cadavera sepeliri queant, petendum id esse, sicut & in translatione ipsius, qui in pœna, relegationis scilicet aut deportationis mortuus, idem juris est. quare si suapte sponte ea vel transferunt, vel etiam ex patibulo aut rota auferunt, sicut sæpius de nocte fieri solet, arbitrarie puniuntur Magnificus Dn. Struv. Syntagm. jur. civ. Exerc. 48. thes. 25. in fin. & eadem Exerc. thes. 92. W. senbec. ad tit. de cad. pun. sub fin. Heig. l. 2. q. 37. n. 31. Petr. Mind. in Consult. Sax. l. 5. & ult. q. 140. n. 31. Zæst. tit. de cad. punit. n. 2. cum per ejusmodi ablationem, locus justitiæ qui publicus est, haud parum violetur Nic. Boer. dec. 20. n. 24. Eademque pœna etiam affici illos, qui consensum duntaxat suum ad ejusmodi cadaver de furca, vel rota auferendum ac deponendum, præbent,

præsent, tradit *Berlich. p. 4. Cancell. 48. n. 19.* ubi Scabinos Lipsienses mens. Jun. An. 1597. ita respondisse testatur. Sicut & apud *Carpz. Pr. Crim. p. 3. q. 133. n. 38.* refertur. Idque ampliant *Dd. licet puniti non in loco consueto & solito, sed insolito pendeant Berh. Rossign. add. ad Jul. Clar. d. l. n. 1. 2.* Si totum corpus haberi nequit, etiam reliquæ, cineres & ossa peti possunt. *l. 1. ff. de cad. pun.* Sicut alias in jure nostro perinde est, corpus totum, an pars sepeliatur *vid. l. 1. §. 2. s. l. 8. pr. l. 9. pr. l. 38. 44. ff. de religiof.*

III. Quare sicut alias ratione sepulturae ordo præscribitur, ut eandem facere debeat ante omnes is, quem defunctus elegit, si nihil dictum, scripti heredes, sin hi deficiant, legitimi vel cognati, quique suo ordine, quo succedunt *l. 12. §. 4. seq. l. 20. §. 1. l. 23. l. 27. pr. §. 1. l. 30. pr. §. 1. l. 32. §. 1. ff. de relig.* ita & hoc casu certo ordine propinquos isthoc officium debere existimo. Est autem sepultura ex sententia Canonistarum duplex, alia honesta, quæ fit in loco cœmiterii consueto, adhibitis ceremoniis & ritibus publicis, alia ignominiosa, quæ & Canina dicitur ac Asinina, quæ fit, quando cadaver defuncti, extra locum religiosum consueta in bivio aut trivio aut sub patibulo, aut ubi brutorum corpora abscondi solent, à Carnifice terra obtegitur *vid. Carpzov. Jurispr. Const. l. 2. t. 24. def. 375. n. 1. seqq.* Unde quando propinquis hoc casu sepultura conceditur, de posteriori intelligi non posse, vel inde constat, quoniam hæc concessio est species remissionis pœnæ, at vero sepultura ignominiosa insignis ipsa pœna est, secundum *Carpz. d. l. def. 378. n. 1. §. def. 381. n. 1. Petr. Greg. Tholos. in Syn. jur. univ. l. 32. c. 29.* Ergo de honesta intelligendum, quæ iterum duplicis generis vel solennis, quæ omnibus solennitatibus adhibitis fit, aut saltem fieri potest, vel minus solennis in qua solennitates ulla adhiberi prohibetur, & cadaver extra cœmiterium in loco tamen honesto, qui plerumque certus & determinatus est, vel intra illud ad parietes in angulo quodam ponitur. Conceditur ergo hic honesta quidem, sed minus solennis sepultura, quo etiam pertinet, quod lugere hos nequeant, sed jure prohibeantur. *Job. Stuck. consil. 24. n. 56. seqq.* Idem in illis etiam fieri solet, qui capite plectuntur, sed ita tamen, ut corpora eorum Carnifices manu sua tangere prohibeantur.

IV Coetera agnatis cum extraneis fere communia sunt. Verantur autem extranei circa cadavera hæc duplici modo, quorum alius
jura



jure permissus, alius prohibitus dici potest. Inter actus *jure permissos* primus iterum est *sepultura*, quam ab extraneis etiam peti posse notat *Paulus in l. 3. de cad. punit.* ubi corpora animadversorum *quibus libet petentibus* ad sepulturam danda esse tradit. Sepulturæ enim officium pro opera misericordiæ & charitatis reputatur *Gen. 23. 4. & seqq. Josue 24. 32. Carpz. jurispr. Eccles. d. 1. def. 381. n. 3.* sed & hic ea obtinent, quæ ante in propinquis defuncti diximus.

V. Deinde huc referimus *Anatomiam*, vel *insectionem*, ad quam Medici ejusmodi cadavera petere possunt. Equidem si exemplis judicandum esset. morem hunc satis antiquum; apud *Ægyptios* receptum, ut constat ex *Gellio Noct. Artic. l. 10. c. 10.* facile possemus tueri, in quaestione juris autem aliqui dubia moverunt quædam, *an Corpora humana Medicis, ita ad dissecciones concedi possint.* Tum quod corpora damnatorum frustratim dilaniari non debeant, nisi in quibusdam casibus, propter facinus atrocissimum *Ripa de peste cap. de remed. præservat. contr. pest. n. 142.* idque insuper in injuriam agnatorum vergere videatur, omnino autem hic casus in *jure* decisis non sit, uti est apud *Bartol. in l. fin. ff. de cadav. punit.* Unde etiam *Empirici* veteres ejusmodi mortuorum lacerationes improbasse, idemque veteres *Christianos* servasse, leguntur, quod si non crudeles, tamen scædæ sint & nauseæ plenæ, quorum rationem, usumque honestiorem dicere proclive esse ait *Coler. p. 1. Dec 147. n. 10.* Alii tamen his non moventur, nec rationes illas stringentes existimant, cum enim honor nullus debeatur illorum cadaveribus, qui antequam necarentur, servi potæ erant facti, nihil referre, quid de iis fiat, cum etiam insepulta abjicii vel in furca aut cruce relinqui possint, donec, ut *Seneca* ait, in sepulturam suam desuam. Sed nec sectio quicquam inhonesti infert, aut agnatis per hanc injuria iniuritur, siquidem quod reipublicæ causa sit, etiam si ad *Contumeliam* alicujus pertineret, quoniam tamen hac mente non fit, injuria non est, ut respondet *Paulus in l. 33. ff. de injur. Zoef. ad tit. de cadav. pun. n. 2.* Et quanquam *jure scripto* hæc res expresse definita non extet, tamen *præcticam & consuetudinem* sectiones istas comprobasse, quam & *indies* frequentari, attestantur. De quo quidem dubium non est confer *Ungeba. Exercit. 13. q. 4. in fin. An autem rationabilis sit hæc consuetudo?* ad hæc disputari posset, existimo tamen veram esse affirmativam ob rationes satis firmas, primo etiam militat hic *communis utilitatis & publici boni cura*, ob quam Medici id agunt, ut nimirum hæc *considera-*

deratione & inspectione in conservandis & curandis corporibus vivorum peritiores fiant. *Petr. Theodor. Coll. Crim. c. 10. aph 6. n. 10. 11.* quod autem in commune omnibus prodest, privatorum utilitati præferri debet. *l. un. §. fin. C. de cad. tollend. Zoes. d. l.* imo ipsa etiam necessitas id effugitare videtur, quia perfecta Medicinæ cognitio non magis absque anatomicis dissectionibus comparari potest, quam vera aliqua alterius artis scientia, absque ipsiusmet propria & genuini subiecti notione, quanti autem ponderis, & momenti sit medicina, & quantopere illis sit favendum, qui ad excoleadam eam ingenium intendunt, omnes norunt, quibus propria salus ac incolumitas cordi est. Accedit quod hac ratione cadaveribus, alias in furca relinquendis, Medicorum beneficio, honesta sepultura contingere possit, hi enim partium omnium dissectione & inspectione explicata *λείψαινα* sive reliquias hominis, non sine funerali processu iuxta sepulturæ tradere & concedere solent, eoque hanc consuetudinem præter allegatos etiam defendunt *Nicel. Boer. dec. 287. n. 6. Dd. ad. l. imperium ff. de jurisdict. inprimis. Casp. Valasc. n. 22. Jul. Clar. d. q. 100. n. 2. Guazz. de defens. reor. d. 38. c. 8. n. ult. Carpz. Pr. Crim. p. 3. q. 137. n. 72. seqq. Eberh. Speckhan. quest. jur. cent. 1. q. 3.* alique plures. Ex Medicorum quoque ordine *Guernerus Rosinkius A. 1632. M. Mart.* in Academia Jenensi publico programme industriam huc intendit, huncque morem ab aliorum calumniis vindicare conatus est.

VI. Ut autem Medici circa ejusmodi cadavera licite versentur tum ante quam in & post sectionem quædam eis observanda sunt. *Ante sectionem* ut legitime à Magistratu id petiitum & permissum sit, quod si vero propria autoritate eadem, etiam salutaris Medicinæ causa, de patibulis sumunt, non minus ac agnati, qui sepulturæ causa idem faciunt, arbitrarie puniuntur, uti ex *Tiberio Deciano & Daniele Mollero* observat *Berlich. p. 4. Concl. 48. n. 20.* De Magistratu autem querunt. *Primo an quilibet Magistratus, etiam inferior id permittere possit? deinde an indistincte in qualibuscunque cadaveribus punitorum ea permissio fieri possit?* quod primam atinet quæstionem, negant *Chasseneus ad consuetud. Burgund. tit. de confiscatione 2. verb. ils confisque les biens n. 7. Wesenb. tit. de cad. punit. n. fin. ibique Hahn. Berlich. d. Concluf. 48. n. 6.* ubi solius principis, non autem inferioris Judicis autoritate permitti posse ait. *Gothof. in not. ad rubr. tit. de cad. punit.* Rebuffum aliosque

F

alle-

allegat, qui Judicem, qui sententiam tulit, rogari & permittere posse, existimant. Sed quicquid sit, sane tutius aget Judex, si principis voluntatem perscrutatur *Baiard. ad Jul. Clar. q. 100. n. 4. fm. Guazz. de defens. reor. d. c. 8. n. 1. Menoch. de A. J. Q. l. 2. cent. 3. cas. 285. num. ult. Carpz. Pr. Crim. d. q. 137. n. 74. Brunnem. ad l. 10. n. 7. C. de religios. & in process. inquisitor. c. 10. n. 34.* aliique monent. Quoad alteram quaestionem existimat *Hier. Giach. ad Jul. Clar. d. q. 100. in lit. A.* indistincte nulla consideratione conditionis ac dignitatis familiae puniti habita, cadaver ad anatomiam concedi posse. Quod quidem si de juris rigore loquamur, verum est, interim tamen prudenter agere Judicem, si attendat familiae conditionem, an talis sit, ut illa reluctante, cadaver anatomiae tradendum non sit, vel tradendum, si scilicet vilis est familia & deploratae conditionis, omnino tenendum, cum *Menoch. Guazzin* ceteris allegatis, & *Habn. ad tit. de cadav. punit. in fin.* qui volunt contrariam sententiam periculosam esse, cum agnati, si familia sit potens, facile alias tumultum excitare possint, reputantes anatomiam dedecus esse eorum familiae.

VII. Quaesitum etiam reperitur, an si Medici vivos ad supplicium condemnatos ad anatomiam petant, eis concedendi sint? fuerunt qui non tantum necessarium existimabant, incidere corpora mortuorum, eorumque viscera scrutari, sed etiam vivorum, neque esse crudele iudicabant hominum nocentium sive piacularium eorumque poenarum suppliciis remedia populis innocentibus seculorum omnium quaeri: In quam rem allegabant locum *Seneca 10. declam. 6. multum semper artibus licuit, Medici ut vim in aegrotis morbi cognoscerent, viscera hominum vivorum resciderunt.* Ast alii id nimis crudele fore, nec unquam permittendum crediderunt, & si publice expediret. & hoc quidem praefertim inter Christianos, quibus religio sit admittere malum, ut eveniat bonum; videtur quoque cum indignitate Medicae artis pugnare, cum poenae executio spiculatori mandanda sit, non Medico, cujus ars ad salutem hominum pertinet, non penicem *l. 1. §. 1. de extraord. cognit. eandemque Empiricorum veterum fuisse sententiam Cornelius Celsus l. 1. refert praeposterum existimantium, salutis humanae praesidem artem, non solum pestem alicui, sed hanc vel atrocissimam inferre, ut taceam, & tali casu pleraque tamen non posse omnino cognosci, quemadmodum haec pluribus deduxit *Marquard. Freher. parerg. l. 1. c. 25. quem Speckh.**

Speckb. cent. 2. q. 7. Zieritz. not. ad Constit. Carol. V. c. 149. fin. alique sequuntur. An autem illud verum sit, quod cadaver damnati pro anatomia facienda solum concedatur, quando damnatus est solum suspensus, & non aliter mortuus, uti ex Sapia & Carpano tradit Guazz. in d. def. 38. c. 8. n. 2. aliis considerandum relinquo, contrarium tamen quotidiana experientia comprobatur. Magis dubium est, an ejusmodi cadavera semel sepulta, iterum ad anatomiam effodi possint? Et quidem privata autoritate id fieri non posse evincunt rationes à Matth. ad tit. de sepulch. viol. in fin. adductæ. Principem vero exhumationem concedere posse, non dubito, arg. 1. 8. pr. de religios. præjudicia refert Dn. Beier supra alleg. Dissert. de cadav. pun. c. 3. n. 19. Cæterum ubi Medicis hoc conceditur uxor & liberi pro cadavere nihil petere possunt aut exigere, nisi Judex, ut interdum fieri solet, aliquid numerari jussit. Matth. d. 1. p. 752.

VIII. Præterea in ipsa sectione tractatio Medicorum vel ad totum corpus refertur, illud secando, ejusque naturam cognoscendo, vel ad partes, adipem, ossa, carnem, cutem extrahendo ac Medicinam inde præparando, in quibus omnibus, ita versari decet Medicum, ut ubique tum communem omnium actionum humanarum, tum suæ præsertim professionis finem sibi proponat, omni vero levitate in intempestiva quorundam membrorum nudatione (quod si fiat in cadaveribus punitorum, aliàs quoq; sicut inferius apparebit, relegatione aut simili poena extraordinaria punitur) aut jocationibus parum honestis abstineat.

IX. Post sectionem vero ipsum corpus, aut saltem reliquias sepulturæ tradere debet, sicut sæpius hoc factum esse Franc. Ripa d. 1. in fin. se Papiæ & Speckhanus Antecessor quondam Academiae Julix d. cent. 1. q. 8. n. 4. se Rostochii vidisse testantur. Qui pontificia sacra sectantur, id amplius addunt, debere Medicos officia solennia pro anima anatomizati decantari facere, imo Scholares & alios, qui interveniant dictæ anatomix, debere elemosynas facere pro missis celebrandis, pro salute illius damnati anatomizati, uti ex Ripa & Baiardo refert Guazzin. d. c. 8. n. 4. Dum autem circa hanc sepulturam versamur, vel verbulo mentio facienda est facti illius, quod superiori anno in Vicina Academia contigisse novimus. Concesserat Serenissimus Princeps cadaver parvicidæ foeminae Dominis Medicis incidendum, postquam vero perfecta sectione corpus humanandum fuerat, impetrare nonnisi post

severissima mandata potuit, ut exceptum e manu Medicorum, cives virique honesti id terræ mandarent, quasi videlicet maculam indelebilem insingeret, quisquis funus ejusmodi contingere auderet, quam vanam opinionem postmodum peculiari dissertatione D. Joh. Tesmarus Antecessor illius Academiæ sibi sumpsit refutandam, in qua potissimum id egit, ut ostenderet infamiam, si qua est, quæ ex contractu Carnificis cadaveri interatur, tolli per subsecutam Dominorum Medicorum infectionem, absurdumque esse opinari, unicum Carnificis contactum plus operari, quam tam frequentem & sedulam honestissimorum virorum contrectationem.

X. Cæterum ex variis cadaveris partibus usus suos Medicos instruere, sed & ex ossibus in ordinem repositis rursus connexis, Sceleton, ut vocant, conficere possunt, quod sicut jure licitum est, ita varias quoque utilitates habet, quas explicat *Speckh. d. q. 8. n. 5.* An autem in commercium deducere & venalia habere licebit? dubitare quis posset, quod dum liberum corpus, tanquam totum non est in commercio, partes quoque non debeant esse deterioris conditionis, sed ratio satis firma haud est, siquidem amissa forma humana, nec homo, nec corpus liberum amplius est.

XI. Præter Medicos, sunt & alii, qui ejusmodi cadaveribus tractandis licite occupantur, nimirum *Pharmacopola & Chirurghi*, hi unguenta, illi cujuscunque generis medicinas ex ossibus, carne, pinguedine, cineribusve, conficiendo. Anne autem foro etiam conscientia ejusmodi personæ tutæ sint, dum de pinguedine, aut aliis partibus cadaveris retinent, quibus aliis possint mederi? vidisse hac de re dubitari ait *Joh. Anan. in c. fures X. de furt. n. 3.* & refert *Bajard. ad Jul. Clar. d. q. 100. n. 4. ac Guazz. d. defens. 38. c. 8. n. 7.* Sed nihil est, cur dubitemus, in re quæ in communem generis humani utilitatem, suscipitur, adeoque unum eundemque cum universa anatomia finem respicit, idcirco nec decisionis diversitate ab illa sejungenda est, cum ubi eadem ratio, idem quoque jus staduentum sit, add. *Speckh. d. cent. 1. q. 9. n. 8.* Denique & *coriarii* huc pertinent, quorum opera corium humanum concinnatur, equidem hos se plerumque excusare solere prætextu infamiæ ex ejusmodi cadaveris tractatione metuendæ, notum est, sed vanem esse excusationem, cum postquam pœnam perpeffus reus, aut Medicis ad ananromiam concessum cadaver sit, macula & infamia purgetur, ut eidem amplius

amplius non in fit, neque exinde inter hæc & reliquorum demortuorum cadavera differentia appareat, & propterea etiam Coriarios invitos autoritate Magistratus ad hoc cogi posse, responderunt Scabini Lipstenses mens. febr. An. 1631. apud *Carpz. Prax. Crim. d. q. 137. n. 76.*

XII. Pergimus ad *actus prohibitos* seu illicitos, inter quos primum *spoliatio* & *ablatio* cadaverum suspenforum refertur, nam ratione *violationis*, de qua vid. *Berlich. p. 4. Concl. 47. n. 37. seqq.* hic disputatio inutilis videtur siquidem rationes ibi a Berlich. allatæ in cadaveribus suspenforum cessant, ergo & ipsum jus *Guazz. Tr. de pac. & treug. p. 1. q. 68.* per *spoliationem* vero quid intelligatur non conveniunt, sicut apparet ex *Tractatione Farinacii pr. Crim. l. 1. t. 5. q. 20. n. 117.* Verior autem est sententia *Gloss. in l. pergit. C. de sepul. viol.* quod *spoliatio* cadaverum fit intelligenda de vestibus mortuorum, itaque videndum quomodo puniatur qui cadavera punitorum vel suspenforum spoliat? Eo quidem *Bart. in l. Divus n. 5. ff. de bon. dammat.* firmat, dictas vestes vendendas, & earum pretium circa expensas necessarias officii, ut in perquirendo malefactorum & similes esse irrogandum, quod si verum est, non erit quæstioni locus. Ast vel intelligendus erit Bartolus solum de vestibus pretiosis, vel dicendum, communi consuetudine contrarium utique receptum esse, ut suspenfis vestimenta quibus induti sunt, saltem aliqua relinquuntur, per allegata *Guazz. de def. reor. d. def. 38. c. p. n. 1.* quare omnino heic quæstioni locus est. Sunt autem variæ *DD.* opiniones, aliqui juxta textum *l. 3. §. 7. §. 1. ult. ff. de sepul. viol.* Spoliatorem severius, & interdum capitaliter, si est humilis & vilis vel armatus, puniri posse, credunt, uti *Wesenb. ad tit. de sepul. viol. n. ult. Martin. Naur. in addit. ad Zoef. Comm. ff. eod. tit.* ubi nonnullorum *Prætorum* sententias refert. Alii eum solum injuriarum & furti teneri putant. Nonnulli manus amputatione puniendum tradunt. Et denique alii crimen expilatæ hereditatis heic locum habere volunt. Sed horum omnium sententias refutavit *Berlich. d. p. 4. Concl. 48. n. 3. seqq.* ubi tandem ex adductis rationibus *n. 11.* concludit, puniendos esse hosce spoliantes poena aliqua arbitraria puta carcere, vel etiam pro qualitate delicti, relegatione vel fugitatione add. *Carpz. P. Crim. p. 2. q. 83. n. 60. & J. F. p. 4. C. 34. d. 3. Eckolt. tit. de sepul. viol. n. 6.* quod extendunt etiam ad Carnifices, ut nec hi cadavera suspenforum, aut rotæ affixorum denudare possint *Bajard. ad Jul. Clar. d. q. 100. num. 6.* adeo ut notat

Guazz. d. c. 9. n. 2. quod quidam Carnifex, qui duas mulieres de adulterio damnatas, suspensas, nudas spoliaverat, fuerit vivus combustus; Idemque de vespillonibus tradunt. Attamen limitatur, si quis non vestes, sed pecuniam aliasque res in vestibus occultatas auferat, cum enim ejusmodi pecunia pro derelicto censeatur habita; ratio etiam scandalii cessat dum vestes relinquuntur, ipse denique locus ne publicus nec religiosus violetur, cum talis non sit, ubi pecunia invenitur *arg. l. 4. §. 6. ff. ad leg. Jul. pecul.* supradictam quoque pœnam cessare, idq; suo tempore in quodam lictore, qui pecuniam sub puniti thorace retentam, abstulit, observatum refert *Berlich. d. l. n. 16.* omnis tamen pœna non est remittenda, prout apud *Carpz. d. l. n. 62. §.* præjudicium extat.

XIII. Quod ipsam ablationem ejusmodi cadaverum atinet, iterum arbitraria pœna obtinet, pro diversa auferentium intentione diversa; si enim bona fuerit intentio, sicut est, quando agnati ad sepulturam, aut Medici ad anatomiam auferunt, levior pecuniaria aut carceris pœna infertur, ut supra dictum, severior autem, fustigationis nimirum aut relegationis, si ad usus magicos, aut alio malo proposito surripiunt, uti observant *Carpzov. p. 4. C. 34. def. 4. Berlich. de concl. 48. n. 21. & Brun. in repet. ad par. Wes. tit. de cad. pun. q. 4.* quod procedit, non solum si quis integrum cadaver abstulit, sed etiam partem ejus tantum, puta digitum ad usum furti, vel incantationis abscidit. *Wesenb. ad tit. de cad. punit. in fin. Dan. Moller. ad Constit. Sax. p. 4. C. 34. n. 2.* imo etiam si alia circumstantiæ & qualitates delictum aggravantes, concurrant, judex quoque arbitrariam pœnam ad mortem poterit extendere. *Berlich. d. l. n. 23.* ubi præjudic. ex *Bodin.* affert.

XIV. Cæterum quod in jure nostro de Creditoribus sub prætextu debiti, sepulturam defuncti detinere volentibus, constitutum est in *l. 6. C. de sepul. viol. nov. 60. c. 1.* inde desumpta authentica item qui *C. de sepul. viol.* ut scilicet creditum amittant, quinquaginta libras auri fisco inferant, & si hanc summam solvere non possint, corporaliter arbitrio judicis puniantur, sicut amplius ex *Covarr. var. resol. l. 2. t. 2. c. 1. n. 2. Menoch. A. l. Q. l. 2. cent. 4. cas. 387. n. 16. seqq. Peck. de jure sistend. c. 10. n. 10. Farin. Prax. Crim. l. 1. t. 3. q. 20. n. 139. Matth. de Crim. tit. de sepul. viol. c. 2. n. 21. Pet. Theodor. Colleg. crim. præct. c. 3. aph. 10. n. 30. Carpz. p. 1. C. 30. def. 22. Brunneinan. ad l. fin. de sepulch. viol. n. 5. Zoef. cod. tit. 2. 3. 4. Petr. Gudelin. de jure noviss. lib. 6. c. 15. Hahn. ad Wesenb. tit. de rel. &*

rel. & sumpt. fun. n. 5. per tot. Magnif. Dn. Struv. Syntag. jur. civ. Ex. 48 thef. 88. & Ex. 15. thef. 83. aliisque constat. Idem in cadavere puniti procedere existimo, si quando eidem à principe sepultura est concessa. Quo casu nec *Clerici*, quibus forte portio Canonica, aut simile quid pro loco sepulturæ solvendum esset, sepulturarum poterunt differre, per ea quæ habet *Speckb. Cent. 1. q. 6. n. 7.* Iterum quæ de *arrestis* contra mortuos prohibitis traduntur apud *Mevium de arrest. c. 8. n. 25. seqq. Coler. de process. Executiv. p. 2. c. 3. n. 249.* aliosque, huc quoque debere applicari puto, quanquam enim ex practicis aliqui desuetudine juri scripto heic derogatum putent; Et inde arresta cadaverum velint defendere, sibi tamen de illa nihil resciscere licuisse *Mevius* ait, nisi ex injuriosis actibus contrariam consuetudinem arguere velimus, qui etiam si foret ea consuetudo, impiam tamen, & iniquam eoque non attendendam eam existimant, quod & *Peckio* visum de *jure sistend. cap. 5. n. 23.* Communi tamen exceptioni & heic locum relinquo, nisi ejusmodi punitus, cui sepulturam princeps indulsit, sit usurarius manifestus, cujus cadaver arrestari à Judice Ecclesiastico posse, donec heredes de restituendis usuris caveant, tradunt *Menoch. A. I. Q. c. 388. num. 29. Marant. Tract. de ordin. jud. p. 4. dist. 11. n. 33. Andr. Vallens. lib. 3. decretal. tit. 28. §. 7. n. 2.*

XV. Tandem quid *punito ipsi*, circa cadaver aut bona sua post mortem exequendum, liceat, videbimus? Et *bonorum* quidem ratione hic disquirunt, *an reus capitalis Criminis post condemnationem testamentum facere possit?* de quo in utramque partem prolixius disputatur, ac utriusque sententiæ authores magno numero apud *Berlich. p. 3. concl. 8.* (quo fit remissio) conducuntur. Quicquid autem sit, & quanquam rationes pro negativa, ad longum à *Berlich. d. l.* allatæ, si ad subtilitatem juris respicias, satis validæ appareant; contraria tamen sententia communi consuetudine & praxi videtur esse recepta, ut testantur *Coler. p. 1. d. 34. n. 6. Carpz. Prax. Crim. p. 3. q. 135. n. 22. Richt. dec. 57. Wessensb. ad tit. qui testam. fac. poss. n. 13. ibidemque Hahn. Hillig. Donell. Enucl. l. 6. c. 16. lit. L. Dn. Struv. Syntag. jur. civ. Ex. 32. thef. 18. in med. Scot. in Ex. Jurid. p. mihi. 499.* Illud obiter notandum, communiter *Dd.* tradere, servitutem pœnæ omnem per *nov. 22. c. 8.* esse sublatam, vid. *Harm. Struvio Schnobel. disp. 16. th. 5.* ibique *allegat. authores*, quod minus verum videtur, fuerunt autem duo servitutis hujus genera quorum

rum unum obtinebat in damnatis ad metallum, alterum in capitaliter damnatis, si quis nunc verba novellæ inspexerit, satis apparebit non de omni, se priori saltem servitute pœnæ ibi sermonem esse, unde cum juris correctio sit strictissime accipienda *arg. l. 32. §. ul. C. de appell. male ad totum genus extenditur, quod de una solum specie disponitur, & proinde, qui ad mortem sunt damnati, si jus Justinianum respicias, nihilominus servæ pœna erant, quod amplius probat C. I. A. l. 28. tit. 1. n. 7. circ. med. Locam. quæst. Justinian. 37. Biccus in Aur. sect. 1. thes. 26. in not. lit. Y. urgent quidem ad versæ sententiæ Dd. generalitatem rationis in d. nov. 22. ibi: nullum ab initio bene natorum ex supplicio permittimus fieri servum. Sed ea statim per subjunctam rationis rationem, ut loquuntur, infringitur, quæ consistit in favore nuptiarum ibi: maneat ergo patrimonium, hoc nihil ex tali decreto lesum, utpote inter personas liberas consistens: quæ certè de illa servitute, quæ contingit in damnatis ad ultimum supplicium dici nequit, ut adeo prior ratio, licet generalis videatur, respectu verborum, non tamen est universalis ex intentione & mente legislatoris, quæ potius attendenda. Quod ergo hodie tales quoque servi non fiant, moribus introductum est.*

XVI. Dicitur est, quoslibet pro punitis petere posse sepulturam annè ergo & ipsi, antequam capitali supplicio afficiantur, sepulturam a Magistratu sibi poterunt rogare? Ego non dubito, quemadmodum experientia quoque, id sæpius fieri, testatur, & tum etiam in testamento heredi, ut idem procuret, potest injungere. Utut autem alias liberum cuique sit, quo velit loco sepulturam sibi eligere per c. 2. §. 1. de sepult. in 6. cap. 7. X. eod. adeo ut ne quidem jurejurando a seipso quis abdicare possit istam eligendi libertatem per Constitutionem Bonifacianam, quæ habetur in c. 1. eod. in 6. id tamen cessare notant ipsi Canonistæ in his qui adjudicati sunt morti per sententiam; videatur *Vallens. ad Decretal. tit. de sepult. §. 3. n. 3.* itaque hoc etiam casu secundum consuetudinem loci sepeliendus fuerit, nec circa modum quicquam damnatus potest disponere.

XVII. Quæri etiam potest, an capitaliter damnato ultima voluntate constituere liceat, ut post mortem cadaver Medicis ad anatomiam concedatur? videtur id asserere *Guazz. de def. recor. d. c. 8. n. 1.* Equidem eos, qui alias moriuntur, ita disponere posse, facile concedam, quod vel exemplo *Antonise illius Romanæ* docemur. quæ moribunda corpus

corpus suum, ut exinde Sceleton fieret, Medicis reliquit, sicut postea factum esse opera Giesberti Medici monumentum Roma in Hospitali S. Mariae de Consolatione erectum testari, annotat Nath. Chyrac. in delic. itin. per Europ. p. 42. Sed quo minus in damnatis idem valeat, his rationibus moveor, quod cadaver ejusmodi per pœnam quasi publicum factum videtur, sicut & illæ formulæ in sententiis adhiberi solitæ, daß Er Leib und Gut verwirckt, der Obrigkeit verfallen sey, satis testantur, de re autem publica privatus ultima sua voluntate disponere nihil potest §. 4. J. de legat. deinde cum per anatomiam aliquo modo remittatur pœna, diutius alias duratura, dum ita sepultura cadaveribus contingit, quæ citra hanc eis non obveniret, pœnam autem remittendi nec indirecte nec directe quisquam habeat facultatem, nisi cui eandem insigendi jus est: Iterum privati potestati heic via censetur præclusa, Anne distinguendum erit, inter cadavera damnatorum, quæ post executionem per se sepulturæ traduntur, & quæ in patibulo aut rota relinquuntur, ut priori casu punitis ipsis facilius id permittendum, non autem posteriori? Sed rarissime credo disputationi locum esse futurum, cum quilibet potius anatomiam avertentis, ac à Magistratu, ne cadaver suum, post mortem medicis concedat, anxie precari soleant.

CAPUT VI. & ULTIMUM.

De jure Circa Cadavera in Reatu mortuorum *αὐτοχειρῶν* hæreticorum, & similium.

SUMMARIÆ.

1. Magistratui etiam jus puniendi competit in eos qui in reatu moriuntur.
2. Idque variis modis. Primo si convictus aut confessus, & condemnatus, etiam cum adhuc viqueret.
3. Quid si convictus, sed tamen ante sententiam mortuus.
4. Quid si solum accusatus.
5. Aut ne quidem in iudicium vivus tractus sit.
6. Autocheiri an & quatenus puniantur.
7. Privatio sepulturæ quibus Criminibus locum habeat.
8. Quando contra mortuos accusatio, & quomodo institui possit.

G

1. Dixi-

I. Diximus hæc tenus quid juris competat in cadaver punitorum, restat ergo ut breviter quædam subjungamus de jure in cadavera eorum, qui non quidem *puniti*, sed tamen in reatu, adeoque ut puniendi discesserunt, ubi Magistrati quoque competere potestatem, ut vel *eandem penam*, qua affiendi forent, si viverent delinquentes, cadaveribus eorum inferre, vel saltem *sepultura* eadem privari possit. Sed prius quidem membrum adeo expeditum esse non videtur, quoniam enim pœna continuari possit in cadavere, quæ cepit cum viveret homo, inchoari tamen vix poterit, propterea quia pœna nihil aliud est, quàm *malum passionis*, quod *insligitur ob malum actionis*, sicut describitur apud *Groz. de J. B. & P. l. 2. c. 20. n. 1.* malum passionis autem contingere non potest in eo, qui omni sensu caret, quam rationem maxime consideravit *Bald. in l. unic. n. 2. C. ex delict. defunct.* ideo mortuum puniri posse negant. Unde etiam Judices qui cadavera mortuorum suspendi, cremari, aut alio modo laniari permittunt, male facere & in Syndicatu teneri dicuntur Interpretibus nostris, quorum nomina conduxit *Farin. Prax. Crim. l. 1. t. 1. q. 10. n. 77.* Equidem fatendum est, ipsa cadavera non puniri proprie, interim judici tamen jus est, eandem pœnam, quam vivus meruit, in cadavere representari, ut si non omnis, aliquis tamen pœnarum finis, heic obtineatur, ut scilicet istiusmodi exemplis horror injiciatur, ne quis velit in eo deliquisse, in quo & cadaver delinquentis ab omni reatu non liberum esse videtur: Unde etiam quod de Judicibus, quod si hoc agant in Syndicatu teneantur, dictum est, universaliter non procedit, sed forte in aliis delictis non atrocibus, sicut statim *Farin. d. l.* subjungit, prædicam & magis communem esse opinionem, quod in delictis atrocissimis ad aliorum exemplum & terrorem, judici arbitrarium sit, cadaver delinquentis mortui post condemnationem suspendi facere, quod pluribus exemplis deinde comprobatur. *Menoch. de A. I. Q. cas. 285. Jul. Clar. q. 51. n. 15.* Ubi de usu & praxi multorum locorum testatur. add. *Zoes. ad tit. de cad. punit. num. ult.*

II. Quando autem & quibus casibus id Judici liceat, in genere definiti nequit, & quia criminum exempla, quæ pro sui magnitudine tali scœditate digna sunt, recensere non est facile; id Judicis arbitrio esse, docet *Speckb. cent. 1. q. 85. n. 18.* Interim tamen quædam regulæ possunt attendi, aut enim ejusmodi reus jam in *judicium tractus* fuit, aut non, si id, ite-

id, iterum distinguendum, an jam *condemnatus*, an non quidem *condemnatus*, sed tamen *confessus* aut *convictus*, an nec hoc, sed solum *accusatus* sit. Si reus de crimine confessus vel convictus, & ad supplicium mortis etiam condemnatus, antequam sententia executioni mandetur, mortuus sit, posse sententiam executioni dari, hujusque cadaver pro ratione criminis commissi non minus suspendi, comburi, vel rotæ affigi, ac si reus adhuc viveret, certum est. Videotamen Dd. adhuc differentiam facere inter Crimina, ita, ut si perpetratum non sit ex eorum numero, quæ pro atrocissimis habentur, utpote simplex homicidium aut furtum, non in cadaver rei defuncti animadvertatur, sed illud per Vespilionem in cœmiterio, absque tamen solemnitatibus sepeliatur. In Crimine autem atrocissimo, veluti incendii, veneficii, læsæ Majestatis, id quod diximus obineat, quinimo aliqui existimant, etiam hoc casu cadaver rei, non suspendi aut comburi. Sed à Carnifice e civitate trahi, ac penes furcas, aut patibulum humari, convenientius esse, ut etiam in criminibus atrocissimis sepultura canina propœna sufficiat, qualem sententiam defendit *Carpz. Prax. Crim. p. 3. q. 131. n. 41. ad 47.* ubi præjudiciis quoque variis suas assertiones comprobat, add. *Eundem Juri. spr. consistorial. l. 2. tit. 24. d. 379. n. 5. 6. 7. & 8.* Alios tamen dissenire invenio, sicut quoad delicta atrocissima, multis probat *Farin. d. 1. n. 78.* Apud *Godolmannum* quoque de *Mag. & venef. l. 3. c. n. n. 24.* præjudicium extat, ubi cadaver magi, quia in carcere mortuus repertus est, in loco justitiæ concrematum fuit. Sed & quod delicta minus atrociora attinet, aliquando etiam his sepulturam Caninam adjudicatum, imo in cadavera quoque animadversum esse, docet *Coler. p. 1. dec. 107. n. 38.* ubi refert ita respondisse Jenenses Anno 1548. senatui Peshnicensi contra quendam captivum furem, qui sese ipsemet in carcere necaverat, ut extraheretur a custodia cadaver per Carnificem, ac resupinum a tergo in scala alligatum exportaretur e civitate, ac penes furcas humaretur. Lipsienses autem eodem anno respondisse, furis cadaver, qui sibi ipsi mortem consciverat in carcere, cum uno pede alligandum publicis furcis, ita quod caput & corpus versus terram pendeant, idque vidisse se ita executum fuisse. Pro conciliatione dici posset, veram esse *Carpzovii* sententiam, si naturali morte rei ejusmodi mortui sint, exceptionem autem pati, in iis qui sibi mortem intulerunt violentam, de quo loquitur *Colerus*, heic enim,

etiam in delictis non atrocissimis, posse iudicem ex suo arbitrio jubere, vel laqueo suspendi, vel aliis ignominis affici cadavera, eleganter tradidit, & exemplis variis comprobavit *Menoch. d. cas. 285. n. 5. seqq. Speckb. d. q. 85. n. 8. add. Præ-Nobilissimus ac Amplissimus Dn. D. Moltenbecius, Antecessor hujus Academia Clarissimus in Division. Jur. cent. 3. div. 85. addit. 3. n. 17. seqq.*

III. Altero casu reus adhuc vivus Crimen quidem confessus aut de eo convictus fuerit, ante sententiam tamen moriatur, non posse in cadaver sæviri ex *Bosio* tradit *Farin. d. q. 10. n. 79. allegatq; l. 5. de custod. & exhibit. reor. ex qua colligitur, quod confessus crimen non continuo statim puniri possit, si nondum sententia secuta, add. Gothofr. in not. d. l. lit. X. quocumque autem casu vivo delinquenti mortis pœna irrogari nequit, eo nec mortuo reo, cadaver ejus macula affici debet. Idque eo magis procedit, si vivus confessus aut convictus, & tamen de corpore delicti, an hoc vere sit perpetratum, nondum constet, de quo *Carpz. d. q. 131. n. 39. Myns. Cent. 3. Observ. 81. Quoniam nec hoc casu vivo capitale supplicium inferri posset. Hæc tamen conclusio rursus limitanda in eo, qui ex conscientia delicti perpetrati seipsum interfecit, & ita executionem supplicii prævenit, aut alio modo mortem acceleravit, de quo non dubitant Dd. quin ejusdem cadaver suspendi, rotæ affigi, aut comburi possit, absurdum enim esset, a pœna eximi eum, qui propterea, quod mortem sibi intulit, graviori supplicio plectendus est. Et ita observari in praxi, testatur *Gomez. tom. 3. var. resolut. c. 1. n. 79. adductisque præjudiciis confirmat *Carpz. d. q. 131. n. 50. seqq.****

IV. Quod si solum accusatus, nondum vero convictus aut confessus est, & moriatur, in cadaver animadverti non posse, clarum, neque enim qui accusatur reus est, sed qui convincitur criminofus *c. fn. 15. q. 3. fn. can. eorum 11. q. 3. Hippol. de Marfil. pract. Crim. §. postquam num. 38. & 9. diligenter n. 171. quod si tamen violentas sibi in carcere manus intulit, cadaver ad patibulum vehi, ibique sepeliri debet, sicut responsum quoque meminit *Speckb. d. q. 185. n. 11.**

V. Cœterum si ne quidem in judicium delinquens vivus tractus est, distinguendum erit, an reo delinquente jam mortuo, & sepulto crimen demum manifestetur: & hoc casu, cum de crimine nunquam confessus fuerit, aut convictus, pro innocente etiam habitus, ac nondum dif-famatus sepultus sit, nulla prorsus ratio animadversionem in cadaver
admittit

admittit, quod demonstrat, & præjudicio roborat *Carpz. d. q. 131. n. 37.*
 38. ad vero crimen post mortem innotuerit, sed antequam sepultus, ut
 in *autocheiris*, aut ante mortem etiam, quæ tamen statim infecuta. Ut
 si quis in notorio crimine deprehensus, in actu captus autem a satellitibus
 occisus est, & hoc posteriori casu, quando delictum est notorium,
 reum ad aliorum exemplum posse suspendi ex Julio Claro refert *Farin.*
d. q. 10. n. 78. quamquam ipse postea id negare, eamque sententiam se-
 qui videatur, *Carpz. d. q. 131. n. 35.*

VI. De autocheiris, an & quatenus puniendi, sepulturaque pri-
 vandi, prolixius egerunt. *Farin. pr. Crim. p. 4. tit. 14. q. 128. n. 1. seqq.*
Menoch. A. 1. Q. cas. 284. Guazz. de def. reor. def. 38. c. 6. def. 39. cap. 2.
Damboud. prax. Crim. cap. 88. Heig. p. 2. q. 36. Finkelsth. obs. 43. Carpz.
Prax. Crim. p. 1. q. 2. n. 25. seqq. Zoef. tit. de pœn. n. 32. § de cadav. punit.
n. ult. Gudelin. de jur. noviss. lib. 5. c. 17. in fin. Valleng. ad Decretal. tit. de
sepult. §. 7. n. 2. in fin. Habn. ad Wesenb. tit. de cadav. punit. sere per tot.
Tractatus Tractatum tom. XI. p. 2. tit. 18. de defunctis a n. 21. usq; ad fin.
Magnificus Dn. Struve S. J. C. Ex. 15. thes. 82. § Ex. 49. thes. 109. quo le-
 tiorem brevitas causaremittimus, sicut & de prohibitione facta tam
 in jure divino, naturali, civili, canonicoque iidem tradunt. Nam quod
 de jure civili aliqui (inter quos est *Erasm. Ungebaur. in Ex. Just. 1. q. 3.*)
 dubium moverunt *obl. 9. §. 7. de pecul.* ubi dicitur quod *servis natura-*
liter in suum corpus sevirere liceat, id vanum est, & ab aliis pridem explo-
 sum, siquidem per vocabulum *naturaliter*, non *ius naturale*, sed *factum*
 significatur, quod scilicet membra servorum per potestatem Domini-
 cam, non ita constingantur, quo minus sibi ipsi manus violentas in-
 ferre possint. Ut tamen breviter dicam, quid mihi videatur, primo
 quidem rejicienda est Veterum Stoicorum præsertim doctrina, qui di-
 stinxerunt, an tædio vitæ aut conscientia criminis, quis se occiderit, ut
 posterior solum, non autem prior occisio punienda sit. Quod impi-
 um, hoc enim crimen indistincte pœnam meretur si ex proteresi com-
 mittatur, in ceteris autem notam aliquam inducit. Itaque potius di-
 stinguendum est, an hoc Crimen perfecte etiam perpetratum sit, an so-
 lam tentatum, posteriori casu, si ex impatientia doloris, desperatione,
 furore, aut animi impatientia se quis vulneravit, eum nulla pœna affi-
 ciendum, docent, sin vero extra ejusmodi casus, vitam quis sibi laqueo,
 ferro, aqua vel alio modo finire voluit, & in actu deprehensus à pravo
 ac ma-

ac maligno suo proposito fuerit impeditus. pœnam ordinariam imponi debere, aliqui volunt, sed verior est eorum sententia, qui extraordinaria solum, arbitrio Judicis imponendæ, heic locum faciunt, quam prolixius rationibus ac præjudiciis confirmat *Carpz. d. l.* sed ille casus huc non pertinet, qui de jure circa puniendâ *cadavera* loquitur, quare de illis solum, qui sibi actu mortem consciverunt, videndum. Et hos suspendio puniendos putat *Bald. in l. 2. n. 2. C. qui testam. sac. poss. Carrer. Prax. Crim. in 3. tract. de homicid. §. octavo.* sed eam opinionem textu ac ratione probabili carentem, eoque non tenendam, dicunt *Julius Clarus, Decianus, Peregrinus, Gomezius, Sichardus,* aliique plures allegati apud *Farinac. d. l. n. n.* quod & moribus receptum, dum hoc casu in corpus occisam ulterius non animadvertatur, nec ulla pœna corporis alias afflictiva heic locum habeat, sed sola fere sepultura *Canina* adjudicetur, tali modo, ut ejusmodi *cadavera* per fenestras dejecta, vel sub domus limine extracta, in locum infamem & *cadaveribus* destinatum, vel saltem extra *Cœmiterium* in locum peculiarem projiciantur & humentur *Heig. p. 2. q. 36. n. 64. seqq. Schneidw. ad §. religiosum n. 9. J. de R. D. Wesenb. ad Schneidw. in §. juris præceptum. 5. J. de J. & J. Carpz. Pr. Crim. d. q. 2. n. 30. 34.* ubi sæpius ita practicum refert, add. *Jurispr. Conf. l. 2. tit. 24. def. 376. n. n. seqq.* quod ipsum tamen limitant in iis, qui ex melancholia, furore, aliave animi impotentia mortem sibi inferunt, cum enim in his voluntas, consilium & propositum delinquendi deficiat §. *furiosus 8. J. de iniril. stip. l. 2. §. furiosus 5. ff. de procur.* quod potius, quam exitus in maleficiis spectatur l. 7. §. 3. l. 7. l. 14. ff. ad leg. *Cornel. de sicar.* itaque honesta sepultura eos privandos non esse, interim de ceremoniis publicis aliquid remittendum, quo alii ab ejusmodi facinore deterreantur. eam tamen moderationem Ceremoniarum cognitioni & arbitrio Magistratus Ecclesiastici seu Consistorii committendam, docent, vid. *Carpz. Jurispr. Eccles. d. t. 24. def. 377. 378. qui def. 375. n. 6.* item sepelienda & terræ inferenda tradit *cadavera* oeciforum, in viis publicis reperta; Non aliter tamen, quam cum Judicis aut Magistratus autoritate, ita etiam, si in flumine aut puteo defunctus reperitur, non denegandam Ecclesiasticam sepulturam, quia non præsumitur se præcipitem dedisse, notant *Aleiat. lib. 6. parerg. c. 27. Didac. Covarr. l. 2. resol. in fin. Theodor. in jud. Crim. præf. s. 7. aph. 6. 37. Simmelthaus obf. pract. 43. n. 15. seqq.*

VII. Præter hæc, alia quoque cadavera *privatiõis sepultura* pœna afficiuntur, sicut plurima ejusmodi crimina adducunt Pontificii juris: Dd. unde aliquis hanc pœnam incurrat, ex quibus sunt omnes excommunicati, utpote hæretici, usurarii, *Sigism. Scaccia de jud. caus. civ. crim. & heret. l. 2. c. 9. n. 225.* Judæi, Monachi proprietarii, quos in peccato mortali sine contritione decessisse confiterit, alique de quibus vid. *Vallens. in paratit. l. Decret. tit. de sepult. §. VII. Corvin. ad jus Can. lib. 2. t. 27.* Ex verioris autem Jurisprudentiæ sententiâ non omnis sepultura, sed honesta saltem negatur, ita & Contemptores verbi divini & Sacramentorum sine Christianis Ceremoniis, in loco remoto ac separatim sepeliendos, Theologi non minus nostri, nominatim *Gerhardus & Brochmandus*, quam Jcti docent apud *Carpz. Jurispr. Consist. d. t. 24. def. 382.* Duellantibus vero mortuis honestam sepulturam, concedendam non esse, tradit *Vallens. d. l. n. 2.* ut ut enim alias illis ea non negatur, qui casu fortuito aut improvise moriuntur, *Carpz. d. l. def. 381.* secus tamen est, ubi culpa præcessit, quæ casui causam dedit. Apud *Menoch. quoque memorabilis extat casus in d. l. Q. l. 2. cent. 3. cas. 286. n. 13. Mediolani A. 1592. Mens. Jun. observatus, dum vir quidam nomine Franciscus, ditionis Novocomensis, cum nulla lanuginis signa, & semina faciem haberet, ementito sexu, in matrimonium alios sibi viros duas successive assumpsit, cunq; hæc ficta femina tandem morbo gallico correpta, & in Xenodochium illius urbis delata decessisset, dum sepultura paratur, compertum fuit, habere membrum virile, & nulla mulieris signa, ita ut nec dici posset hermaphroditus idcirco cadaver ejus Majorum jussu, sepultura caruisse, refert, existimatque igne etiam concremari potuisse.*

Præter has pœnas aliquando etiam bonorum confiscationem & damnationem memoriæ infligi illi, de cujus crimine post mortem demum constat docuit *Peregrin de jure fisci l. 4. t. 5.* ubi etiam casus, quibus id fieri solet, recenset.

VIII. Denique quod antea diximus, in reatu mortuum & sepultum antequam de crimine innotuerit, omni pœna exemptum esse, regulariter quidem verum est, ponunt autem exceptiones Dd. in quibusdam Criminibus admodum enormibus, quibus etiam post mortem facinorosi in judicium trahi, manuique Carnificis subijcii possint. Primo locoponunt crimen insignoris cujusdam hæreseos, cum apostasia & blasphemia conjunctum, quod Pontificii præsertim, post mortem etiam ferro

ferro & igne vindicare solunt. Exempla cum sint odiosa non referam
 Videatur interim apud *Thuan. l. 22. p. 448.* formula in hæreticum mor-
 tuum. Deinde Crimen Majestatis læsæ seu perduellionis huc referunt
ex l. ult. ff. ad L. Jul. Majest. Cui additur crimen *repetundarum in l. 20.*
ff. de accusat. Sed & alia passim afferuntur. Qualis autem ordo pro-
 cessus hoc casu contra mortuos instituendi, tum citationis faciendæ,
 defensionis mortuo indulgendæ, sententiæ ferendæ, aliarumque so-
 lennitatum substantialium ratione, servetur, item an & quo tempore
 huic accusandi, damnandique mortuos potestati præscribatur, cum
 prolixior, quam Academicæ Dissertationis paginæ capiunt, tracta-
 tionem desideret, alias quoque à Processibus de his actum sit, nos ex-
 plicare, nunc quidem super sedemus, & præstitis Divino Numi-
 ni gratiis pro concessis viribus, huic labori finem
 imponimus.

FINIS.



WC





Kp. 3589^{mf} = 6

VD 18


ULB Halle

005 725 151

3







Farbkarte #13

B.I.G.

283 85

JOH. GEORGII KULPISII, JCTI
& ANTECESSORIS ARGENTORATENSIS
COMMENTATIUNCULA
DE
JURE CIRCA CADA-
VERA PUNITO-
RUM

Von
Rechte derer Reichname,
am Leben gestraffter Übelthäter.

Jp
3589^{mf} = 6



FRANCOFURTI & LIPSIAE,
M.DCCXXV.

